

(1173) (2228) 2.
MARII SALOMONII
ALBERTISCHI, IVRECONSULTI

EQVITISQVE ROMANI, AC ADVOCATI
Consistoriani, in librum Pandectarum
Iur. Ci. commentarioli, in quibus pul-
cherrimæ adnotationes.

ET INTER CAETERA,

Verus & haftenus non perceptus sensus .l. j. de Iust. & Iure.

Tractatus de bono & æquo, ab alijs non explicitus, ad legum interpre-
tationem necessarius.


Repetitio non iniucunda scitu in .l. ut uim.

Item in .l. omnes populi, conciliatis ueterum & nouellorum Iuriscon-
sultorum traditionibus, Commentariorum lib. VI.

Tractatus de uoluntario & inuoluntario, Iurisperitis cognitu necessa-
rius.

Vera enarratio in .l. j. & .l. penul. de constit. Princ.

Similiter & in .l. j. de Senatoribus, & in sequentes legum titulos usq;
in finem.



Cum gratia & privilegio.

IO MARQVARDO ILLVSTRISSIMI PRIN-
CIPIS PHILIPPI MARCHIONIS BADENSIS
CONSILIARIO, ANDREAS CRATANDER S.



MARIVM Salomonium, quem tu literariæ rei consulens, recudendū mihi dedisti, ad te mitto, Marquarde clarissime. Cui enim potius principem Iureconsultum, ac, ut sic dixerim, maiorum ueluti gentium inscribendum existimem, quam tibi in hoc studij genere tam præstanti, ut non iniuria à PHILIPPO Marchione Badensi, non dicam nunc quali principe, in honestissimum sis cooptatus Consiliariorū locum, quem tibi & prudentia confirmas, & autoritate tueris. Eum uerò cum alijs sanè plurimis tibi nominibus gratuler, tum eo peculiari, quòd Iac. Kirserum es sortitus collegam, quasi Scæuolam aliquem, rerum gerendarū cum participem, tum ueluti ducem, cuius consuetudine ut nihil tibi potest esse antiquius, sic ad cõmunis uitæ societatem iucundius, ut rebus arduis occupatus queri non possis, quod fortasse alij pleriq; eò tibi loci redactò deesse ad excolenda studia otium, deesse demum qui literis istis, quibus es affatum præditus, honorem habeant. Quæ res te, opinor, adduxit, ut ad istius libri æditionem me tantopere inuitares, hoc agens, ut hæc ciuiliū rerum disciplina nostræ ætatis hominibus esset paulò cõmendatior, quæ te non solum prouexisset, sed & auxisset fortunis. Nec enim es in ea sententia, qua multi, ut relinquendum hoc quicquid est studij tanquam prophænum existimes, imò prudenter, eiq; re nata in animum tibi inducis, nec ulla Reip. partem, quamlibet in speciem exilem, satis commodè sine eo administrari posse. Cui rei documento sunt longè clarissimæ Germaniæ ciuitates, quarum ut quæque sit plurimi, ita est erga hanc studiorum partem propensior. Et ne longius petantur exempla, an non hoc nomine primum Norimbergam, deinde Augustam illam Vindelicam suspicimus? quarū altera Pirkheimerum, altera Peutingerum, utrosq; & absoluta literarū cognitione, & dexterritate obeundarum rerum longè præstantissimos habet: ut interim taceam Argentoratensem senatum, cuius autoritate Io. Iacobus Kirserus, qui nunc isthic publicè leges doceat, accersitus est. Vnde enim tantum boni alioqui, ut hac una in re, citra imitationis studium, citra exemplum, quid quauis in re fieri conueniat, protinus occurrat, cum nullibi capitalius erretur? Adde etiam, quòd eiusmodi sunt pleraq; quæ in publica iudicia incurrunt, ut cū recti specie nobis blandiantur, non possint nisi legum beneficio excuti. Quæ adeò res efficit, ut operam dandam, quantū omni studio euinci possit, existimem, ut ex animis uulgi euellatur opinio, stultior dicam, an pestilentior nescio, qua persuasum habent nonnulli, sic esse hoc studij genus comparatum, tanquam superuacaneum homini Christiano, neq; futurum usui: interim autem eiusmodi nobis proponunt Respublicas, quas fortasse sit optare facilius, quam assequi, ex Antipodibus fortè adductas. Ego sanè Rempubicam ne quidem animo concipere possum, quæ magistratum, quæ deniq; leges, uincula quædam & compages ciuitatum, desideret. Nec eo tamen inficias, quædam tradi nostra tempestate à Iureconsultis aut incultius, aut superstitiosius, & ut liberè quod sentio, dicam, parum è dignitate legum. Sed quid facias? non debent eam ob causam leges periclitari, quarū usus tam est necessarius, quam est aqua & ignis: ut quod Cicero de libello. XII. tabularum dixerit, id rectissime Pandectis conuenire crediderim, eas nimirum omnium philosophorū bibliothecas & autoritatis pondere, & ubertate utilitatis superare. Quæ enim est paulò liberalior disciplina, quæ non aliquo pacto in ius ciuile incidat? Quamobrem plurimum tibi deberi fateantur necesse est omnes quibus cordi erit hic noster Salomonius, cuius tu mihi excudendi non solum autor extitisti, uerum etiam cessanti impulsor. Qui sic ingressus est inuoluta quædam legum explicare, ut interim significationem det nō obscuram, eum in nullo disciplinæ genere non fuisse cum summa laude uersatum. Eum autem, iam multis mendarum myriadibus repurgatum, tu ueluti tutelaris quidam patronus suscipies, & contra tenebriones quosdam, quod unus rectissime potes, defendes. Vale, ex officina nostra typographica, Basileæ, Calend. Martias.

Iac. Kirserus.

Bil. Birkheimerus.

Chunr. Peutinger.

Anno M. D. XXX.

P. GILII BELGAE EPIGRAMMA.

Ecce iterum Sol est tenebroso redditus orbi,
Et spectant lumen secula nostra nouum.
Atq; iterum Latij Crasso florere tribunal
Cœpit, & antiqui signa uidere fori.
Voce Salomonij ueneranda scientia legum
Lucet, & æthereæ pagina sancta Dicæ.
Insucribus terris quàm magnum tollit in astra
Alciatum, priscis æmula fama uiris.
Quàm propè stellifero Zafius succedit olympo,
Qua flumen Rhenum pingua culta secat.
Gallia Budeo quantum uiget alma diserto,
Aurea qui iuris sydera laude ferit.
Roma Salomonium tam celsis extulit alis,
Atq; Quirinalis nomen, & ordo togæ.
Corycidæ nymphæ, Themidos oracula diuæ
Quæ colitis, molli nec tite ferta manu.
Tuq; Themis Marium Cereali cinge corona,
Hic est Romulea iuris in urbe decus.

SANCTISSIMO CLEM
MENTI VII PONT MAX MARIVS

SALOMONIUS S. P. D.



AVD incelebris inter sapientiæ studiosos, B. P. proditur agitata
quæstio, Nunquid sapiens ad remp. accedere debeat: & obtinuit,
non, nisi impellat necessitas: & tum sanè non accersitus modò, ue-
rumetiam ultro sese ingerat: quod si non fecerit, haud minus uitu-
perandus est, quàm patriæ communis, salutisq; desertor: neq; iniu-
ria quidem, cum ortus nostri primam partem patriæ sibi uendicet,
uitaq; nostra charior sit habenda, Cato iunior, uiuū sine dubio uirtutis simulacrum,
suadentibus amicis uti tribunatum peteret: minime conuenire respondit tempore
Reip. nō necessario. Postea cum uidisset Metellum uirum turbulentū tribunatum
petere, ipse quoq; candidatus in campum descendit, ut suo tribunatu Metelli inso-
lentiam retunderet. Rursus ut Crassi & Pompei designatorum Coss. potentia pro
Rep. cum Imperij fauore quiret obsistere, praturam urbanam, magistratū consula-
tui proximum, summo studio efflagitauit. Hinc est, cum ijs difficillimis temporibus
tua ope & opera communem patriam, id est Remp. Christianam indigere cer-
neres, ueræ laudi & propensæ pietati tribuendum est, quòd pontificatum appetie-
ris. Nec ad rem, quòd nonnulli sancti uiri id munus renuerint, aut inuiti susceperint:
siquidem imbecillitatis cōscientia, ut Cœlestinus fecit, excusandi sunt: sin uerò one-
ris euitandi consilio, non sine labe reprehensionis recusarunt, Apostolus ad Timo-
theum commendat, non improbat studium capessendi episcopatus. Qui episcopa-
tum desiderat, inquit, bonum opus desiderat: id est, occasionem exercendarum uir-
tutum. Quantum autem nunc instet operis, laboris, curæ & sollicitudinis, non est
qui ignoret. Vndiq; sunt angustia, nec unquam res Christiana maiori in discrimi-
ne stetit. Urget intra uiscera nostra contagiosa illa hæreticorū pestis, quæ simplices
animas inficit, perimitq; pro quibus Christus crucifixus est. Foris plusquàm for-
midolosus terror immanissimi ac potentissimi Turcarū principis, quo cum bellum
est, non de imperio solū, sed uter sit etiā, cuius uires in nostras ceruices quotidie in-
ualescere cernimus. Quantis uiribus, ut præsentibus tantū calamitates cōmemorem,
atq; obstinata septem mensium obsidione claram Rhodum in nostram faciem, &
quasi nobis ex specula, pro pudor & dolor, spectatoribus expugnauit. Paulò antè
Thaurunum (quod Belgradum uocant) uicinitate cepit, duo terra mariq; Christianorum
ualidissima propugnacula. Mox Drauum, Sauum, & Danubium in ditionem suam
redegit flumina, quæ inter nos & hostes ipsos, pro nostris munimentis ac repagu-
lis natura interfluere uoluit. Pannoniæ multis cladibus ac uastationibus attrita
sunt. In nostrum iam exitiū omnes eius cogitationes, spiritus, conatus, rabiem con-
uertit: arma, apparatus, munitiones, tormenta, classes, nihil aliud præter hanc orbis
terrarum regiam arcem Romam suspirat, sedesq; Petri se uictore uti Mahumethi
fiat. Parum, aut nihil præterea sibi negotij superesse, fortè non male sentit ad reli-
quum terrarum subigendum. Vires nostræ sese inuicem conficiunt, acerrimè belli-
gerantibus inter se principibus Christianis: tumultus Gallici Insucriam & Ligu-
riam infestant: Mediolanum graui obsidione cingitur, & tanta obstinatione, quòd
in castris sub niue & glaciantibus imbribus hybernatur. Ecclesiæ ærarium profus
exhaustum, & multo ære alieno oppigneratum nullius opis est. In tantis difficulta-
tibus ne quid detrimenti res Christiana caperet, eligendus certe fuit is, in quo sum-
ma, si posset fieri, essent omnia, aut saltem sapientia cum potentia non deesset. Quæ

1. Timoth. 3

duo in principe fore necessaria, naturæq; lege iuncta colligataq; simul diuinus Plato in legibus, & in epistolis ad Dionysium scribit. Magnus item Apollonius Thianus Domitiano imperatori scribens: Ut potètia tibi est, inquit, pariter & prudentia opus est: alterum altero indiget, quemadmodum uisus luce, & lux uisu. Sapienter idcirco maiores nostri sacello Martis in Capitolio Mineruæ sacellum iunxerunt, iudicantes sapientiam sine potentia floccidam & in manu furiosi. Et si haudquaquam numero pauci in sacro Cardinalium coetu essent, qui tanta diuinorum scientia, religione, pietate, temperantia, fortitudine, charitate, prudentia pollerent, quanta in Pont. Rom. esse debet, attamen præcipuus ideo uisus es omnibus, quod in te sunt omnia, quæ in summo principe & Pont. hac tempestate requiruntur. Tu enim unus, quod citra adulationem dictum uelim, qui suis uiribus, consilio, autoritate, & animi magnitudine tantam molem sustinere nunc posses. In te primùm tota Italia unice gentis Medices splendor, gloria, diuitiæ, amicitia, clientela perquam maximæ, sine quibus nihil arduum aggredi, perficere potest: singularis præterea in regundis populis, rebusq; publicis constituendis prudentia, ut ipsa tuæ curæ & tutelæ credita, quæ per te nunc floret, Florentia testatur: diligentem & assidua tractatione grauium morum negotiorum didicisti, quid Rom. Pont. quid Cæsari, quid cuiq; regum ac principum conueniat, singulorumq; naturas, mores, ritus, affectus, animos, uires, potentiam perscrutatus. Non te latet, quibus rationibus cum eis agi oporteat, quibus artibus iritantur, quibus etiam concilientur: ut non mirum sit, si omnium ferè principum beneuolentiã tibi comparaueris, multumq; autoritatis apud eos uendicaueris, propter quæ firmissima spes coepit, quod omnes breui, te autore, Christianorum dissensiones & odia extinguantur: & quod optabilius est, efficies, ut arma in Turcas communes hostes concordiam animo conuertant: per quos haud dubium est & tota Europa eijs posse, & in antiquas suas latebras detrudi. Tibi soli, crede mihi clementissime Clemens, tibi soli reposita hæc laurea est: si quid animo concepisti, constanter, ut soles, prosequeris. Etenim nullius laudis est, fortia & difficilia moliri, nisi sapienter fortiterq; perfereris. Quæ omnia ubi multum diuicè exactissima inter Patres excussa essent, incredibili repente consensione omnium uota quasi diuino afflati spiritu in te unum conuenerunt, summum & uerum pontificem appellando: factumq; palam est, quod non inimica (quamuis longa) neq; tumultuosa unquam inter uos fuit contentio, sed pia & sollicita de tanta re, ut par erat, discussio. In his tui apostolatus comitijs clementis. P. multa memoratu digna, summisq; laudum præconijs celebranda obseruauit. Habent annalium scriptores de te et toto sacro collegio quod literis mandare possint eximia laudis & gloriæ immortalis, idq; omnis ætas narrabit, admirabiturq;, & futuris post te comitijs pontificijs amplissimus ordo quod imitetur. Imprimisq; illud, quod nunquam plures ac capitaliores (honoris causa dico) inter patres uiguerunt inimicitia, & ubi in conclaue coitum fuit, omnes simultates & offensiones Christo saluatori nostro syncera & pia mente condonatae sunt: omnium factum unum cor est, una uoluntas, unus & idem finis, ut diuinus honos, sedisq; Apostolicæ decus & ornamentum & autoritas & maiestas solum exquireretur, procurareturq;. Nec tacenda est generosi animi de teipso tua fiducia in tantis discriminibus bene gerendæ præ cæteris, R. P. & impetrandi ab his quibus cum non leues, si tum non erant, simultates, proculdubio paulò antè fuerant: nullum profectò de fiducia sui exemplum, quorum Valerius meminit, cum isto est conferendum. O quantum ualet B. P. conscientia bene animati cordis, & multæ experimentis quæsitæ autoritas ad audendum conficiendumq; res maximas. Præterea quæ tanta uis dicendi unquam fuit, quæ satis commendare posset inauditam amplissimi ordinis in Remp. charitatem, quam non modò pecuniarijs commodis, sed

sed etiam periculo capitis prætulerunt, scilicet, ut inimici tui ultro ac simpliciter sine ulla lege tibi detulerint principatum, non alia ratione, nisi quod publicè interesset. O felices animas, quibus contigit sic de sede Apostolica bene mereri. Non paruam necesse est habuerint de se innocentia conscientiam, aut de tua clementia fiduciam, quod utrisque satis gloriosum est. Tibi uerò longè plus gloriosius, quod is habitus comprobatusq; sis, etiam tuis inimicis, dignus hoc Pontificatu, isq; habearis, qui speciosius ducas offensionum obliuisci, quam ulcisci, & omni uindicta clementiam potiore. Magnum itaque fuit, Clemens sanctissime, priuatas simultates & offensiones pro Rep. remittere. Magnum etiam æmulo siue competitori in petitione honorum cedere. Maximum autem, inauditum, & penè incredibile, inimico placato intrepidè cedere. Multi quippe res proprias postposuere publicis: rarissimi uerò qui cum status discrimine rem communem prædilexerint. Explorata quamuis cuiq; tua sit clementia, quæ te Deo propè similem olim reddidit, & nunc eius uices in terris gerere facit, ut quod semel remiseris, perpetuò sit remissum, teq; semel pacatum nemo postea senserit inimicum: at tamen fieri non potest, quin sub reconciliato principe timoris uel minima suspicionis fibra non remaneat, eaq; quantumuis exigua, ne sit molesta. Etenim natura ita comparatum est, ut ex cordibus hominum uix penitus deleri ualeant, facillimeq; regerminant: & idcirco generosi pectoris est, & excellentis uirtutis, pro salute communi anxiam uitam non recusare: quas suspicionum fibras ut funditus extirpares, euelleres, mox animum adiecisti, per quod omnes plane intelligerent te mansuetum & clementissimum Pont. acturum, & eos quibus cum dissensiones fuerunt, tuo lateri iunxisti dignitatibus & honoribus auctos & ornatos. Hoc pacto pacatis animis consecutus es, ut neminem poeniteat suffragijs te iuuisse: neque quisquam est, quin optima eum spes foueat. Quibus diuinis tuis gestis, ac gloriosissimo Pont. admirationis et lætitiæ plenus, non conuenire arbitratus sum, manibus uacuis gratulandum ad te uenire. Dent alij aurum, argentum, uasa mirro artificio calata, alij lapillos, gemmas, & plus quam Attalicam supellectilem, multas Hispanas, & equos purpura & auro instratos. Porro omnium rerum abundantè dantes res preciosas, crede, crede mihi, non darent, nisi in animum induxissent suum, largitionibus quasi esca aucupari: quæ quàm illiberalis & fordida isthæc sit largitio, neq; stultissimi ignorant. Pulchre Isocrates Nicoclem suum admonet, benignius exciperet, plurisq; faceret eos qui petitori aliquid, quam qui ad eum irent donaturi. Facultates meæ per exigua sunt, B. P. & quantulaecunq; sunt, tuæ certè sunt, cum ipse quoque alterius non sim. Si memoria tenes, iandiu est quod me Leonis X. fratris tui simul & tibi dedidi, addixiq;. Testantur hoc commentaria mea de probatione tui, & libri de Principatu, ad eundem Leonem, & scripta in legem Gallus, quæ tibi dicaui. Nunc autem totus factus sum tuus: & ueluti seruorum operæ, non suæ ipsorum sunt, sed dominorum, æquè lucubrationes meæ alterius quam tuæ esse nequeunt, tibiq; soli reddendæ: non ut talentum defossum, sed multo labore superlucratum in hac communi læticia hilari fronte excipias, obsecro atque obtestor, opus haud inelegans, & pub. utilitatis, hortatu & iussu tui Leonis susceptum, in libris Digestorum enarrationem explicans: quod ut eidem Leoni ab initio destinatum, sic tibi in humanis & diuinis eius legitimo nunc successori debitum, dedico, dicatumq; quasi arrabonem inchoati operis primum librum trado, qui ultimam à me nunc manum recepit. Sequentes libri ad te uenire festinant, modò non intercipiatur ocium: nam prægrauante senio, & admonente hinc migraturum sarcinulas componere, à causis orandis eo consilio ad ocium totum me contuli, ut quod uiribus præstare non ualeo, ingenio saltem elaboratum aliquid reponerem. Neque aliud mihi est aurum, B. P. quam hoc, hoc, quod in officinis ingeniorum cudi solet, flagranti amore ignis

S. lomonij lucubrationes.

MARII SAL. AD CLEMENTEM PONT. MAX. EPIST.

tum, quod neq; te uiuum, neq; mortuum unquam deseret, imò nec mori patietur in omnem terram, & omne æuum laudes tuas per ora hominũ uolitare faciens: estq; eiuscemodi hoc aurũ, quod nec illiberaliter dari potest, ea scilicet spe, ut plus reddatur. Nam, per Deum immortalem, quicquid auri in orbem terrarũ est, tanti non est, ut par calculus reddi possit ijs qui famam scriptis extendunt aliorum, & mortalium memoriã faciunt immortalem. Epistola modum prætergressus sum, B. P.

pono igitur calamus, ne tua in legendo abutar patientia.

Eloquentiã autem nitorem à Leguleio ne exigas uelim, sola animi promptitudine & affectu contentus.

Valeat Sanctitas tua feliciter.

MARII SALOMONII

ALBERTISCHI, IURISCONSULTI, EQVITISQVE ROMANI, AC ADVOCATI CONSISTORIANI, COMMENTARIA IN LIBRVM PRIMVM DIGESTORVM.

DE IVSTITIA ET IVRE

DOMITIVS VLPIANVS.



IURI operam daturũ prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est Ius à iustitia appellatum. Nam ut eleganter Celsus definit, Ius est ars boni et æqui, cuius meritò quis nos sacerdotes appellat. Iustitiam nanq; colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu poenarum, uerumetiam præmiorũ exhortatione efficere cupientes, ueram, ni fallor, philosophiam, non simulatam affectantes.

ARGVMENTVM.



Bolens Vlpianus instituere eum qui ad iuris accedit sapientiã, præmonet officij quod obiturus est: & quo uehementius incendat, illud cõmendat ab eo quod boni et æqui est artifex: ab utilitate, quod bonos ciues efficit, quo nihil medijsfidius in ciuitate est fructuosius: ab excellentia disciplina, quæ quod uera est philosophia. Officium autem Iureconsulti uersari scribit in colendo æquitatis iustitiã, bonos tum poenis, tum præmijs fieri affectare, ut uera dicat philosophia.

Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est autem Ius à iustitia appellatum.

Sensus est meo iudicio, sciri ante omnia oportere, Ius à sola iustitia pendere, & propterea quicquid à uera iustitia non est, ius non esse, quod Vlpianus probat ab eo quod ius est ars, id est exercitiũ boni & æqui uiri, quasi dicat: bonus & æquus uir est cultor iustitiã, & cultor iustitiã non nisi uir bonus esse potest. Vnde refert Celsum eleganter definire Iureconsultos meritò sacerdotes appellari, ea in primis ratione, quia colunt iustitiã ex scientia boni & æqui, quasi dicat: nisi sciat quid bonum & iniquũ sit, quantumq; inter æquum & iniquũ, licitumq; & illicitum sit, colere non potest iustitiã. Aequum & iniquum natura tale intelligimus, licitum & illicitum legitima sanctione.

Bonos non solum metu poenarum, uerumetiam præmiorum exhortatione efficere cupientes.

Solon dicere solebat, his duobus, scilicet præmio & poena, omnem rempub. contineri. Plato, Aristoteles, & omnes alij rerumpub. constitutores admonent nihil optimas prodesse leges, nisi ab ineunte ætate ciues bonis moribus instituantur. Ex quibus notatu digna multa succurrunt, & in primis quod eum qui uere

Ius à sola iustitia pendet

Cicero secundo offic. iustitia ex qua una uirtute uiri boni nominantur.

*præmio et poena
omnis resp. continetur*

Haec etiam forma bonis constituitur

C Iureconsultus appellari uult, ante oculos habere debet, nequid uel interpretati-
one uel responsione definiat, per quod benemeritis praemia denegentur, & male
meritis iusta poena non irrogetur. Item quod Iureconsulti studiosi esse debent,
ut secundum uirtutem uiuatur, quodq; hortamenta ad uirtutes sunt praemia, &
ad uitia fugienda terror poenarum: & ueluti solae minae sunt uanae, ita & lauda-
tiones, si uirtus algeat. Praeterea uti publice interest, delicta ne sint impunita, &
malis hominibus purgari prouincias: pariter publice interest praemia bonis
constitui, bonisque hominibus ciuitatem repleri, imo plus hoc publice utile est,
quam scelestos conquiri: malorum enim persecutio non ob delicta solum, ue-
rumetiam ut ipsi boni fiant, & alij formidoloso exemplo ad uirtutes se conuertant.
Bones ait, quia non satis est innocenter uiuere, nisi secundum uirtutem uiuatur:
non enim innoxia, sed proba bonos efficit uita, sicut mala malos. Praepone-
re autem praemia & poenas infligere eorum est qui reipublicae praesunt, non autem Iu-
reconsultorum. Et ideo Ulpianus ait: Cupientes quod huiusmodi affectus esse de-
bent ut nullum malum fiat impunitum, & nullum bonum irremuneratum, quod est
proprii philosophantis, & idcirco subiicit:

Veram, ni fallor, & non simulatam philosophiam affectantes.

Ad enarrationem huius loci, nescio quid amplius queam asserere quam subie-
cta Cicronis uerba, ex libro primo de Oratore: Si quem ista praepotens, inquit,
& gloriosa philosophia delectat (dicam audacius) hosce habet fontes omnium
disputationum suarum, qui in Iure civili & legibus continentur. Ex his enim & di-
gnitatem maximam expetendam uidemus, tum uero & iustus ac honestus la-
bor honoribus, praemijs, splendore decoratur. Vitia autem hominum atq; frau-
des, damnis, uinculis, ignominia, uerberibus, exilijs, morte mulctantur. Et doce-
mur non infinitis concertationibus plenis disputationibus, sed autoritate, nutuq;
legum domitas habere libidines, cohercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab
alienis oculos, mentem, manus abstinere. Fremant omnes licet, dicam quod sen-
tio. Bibliothecas me hercle omnium philosophorum, unus mihi uidetur XII. ta-
bularum libellus (si quis legum fontes & capita uiderit) & autoritatis pondere,
& ubertate utilitatis superare. Gellius refert Phaurorum philosophum dicere
solitum non minori delectatione se legere XII. tabulas, quam decem de legibus
Platonis libros. His iunge tria illa iuris praecpta, quibus tota philosophia conti-
netur. Quintilianus libro duodecimo: Quaestio iuris omnis aut uerborum pro-
prietate, aut aequi disputatione, aut uoluntatis coniectura continetur, quorum
pars ad rationalem, pars ad moralem philosophiam redundat. Idem Cicero pri-
mo de legibus: Ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam puto: & qui
aliter ius civile tradunt, non tam iustitiae quam litigandi tradunt uias.

Plenior nunc subdenda est interpretatio ex nostris problematibus. Pro-
pter quid est quod prius discendum Ulpianus monet, unde nomen iuris descen-
dat, quam quid ipsum sit ius: Nonne uerior illa traditio est quae a definitione pro-
ficiscitur, per quam plane intelligimus quid sit id de quo agitur?

An, ut Accursio placet, uerbum Oportet, pro conuenire est, quod consilij sit nosse
iuris uocabulum unde descendat, necessitatis autem, iuris definitionem non igno-
rare? Possit hoc recipi, nisi propter uerbum, prius, hoc sermone consequens fie-
ret, plus conuenire nosse etymologiam quam definitionem, quod est incongruens.

An, ut Baldus colligit, qui uult scire quid rei, debet scire principia nominis?
Quod si uerum esset, nequiret sciri, quid sit possessio, si ignoretur a pedum possi-
tione dicta? quid seruitus, si ignoretur a seruandis mancipijs nuncupata? simili-
ter quid stipulatio? quid testamentum? & id genus reliqua. Considera definitio-
nis esse,

etiam

Legum XII.
tab. autoritas.

Ius non est qd potentiori utile ut sed qd
omnibus in commune

A nis esse, explicare quid est: Etymologiae uero, ratione nominis exponere. Aeria
graece ratio est, logos sermo. Porro ueluti aliud est nomen, & aliud res ipsa quae
nominatur, sic alia cognitio nominis est, & alia rei nominatae. Hinc a nostris non
recipit passim ab etymologia Syllogismus, sed uix negatiue, & tunc cum ab essen-
tia traducitur rei quae nominatur, ut iuris uocabulum e iustitiae uisceribus ductum.

At Ulpianus praemonet, damnatae opinionis fore existimantium Ius esse quic-
quid potentiori est utile. Igitur ait, nosse oportet, a iustitia descendere. quasi di-
cat, non a potentioris commodis, ut quidam male sentiunt. & nosse oportet, ait, ut
non ignoretur, quod uere ius est, quouue cogitationes, actus, interpretationes, re-
sponsa sint referenda: scilicet ad ueram iustitiam, tanquam principium finem que-
ritum. Praeclara, me deus, & literis aureis adnotanda sententia, qua instruumur
principum placita tum uim legis habere, quando cum honestate sunt coniuncta.
Hinc edocemur qui potentiorum blandiuntur emolumentis, non Iureconsultos
fore, sed iniquitatis ministros: non boni & aequi artem exercere, sed perditissimi
hominis: non sacerdotes, sed apostatas: non philosophantes, sed hypocritas im-
probissimos. Adducor in hunc sensum uerbis Aurelij Augusti. lib. decimonono
de Ciuitate Dei, ubi refert Cor. Scipionem in Repub. Ciceronis differentem, &
ab hoc quod ius a iustitia descendit, arguere ius non esse quod potentioris gratia
constituitur. Cuius uerba sunt haec: Cum illud ipsi ius esse dicant quod de iusti-
tiae fonte manauerit, falsum est quod a quibusdam non recte sentientibus dici so-
let, id ius esse, quod ei qui plus potest, utile est. Haec Scipio. Consentit Aquinas:
Lex est, inquit, iniusta, quando non tendit ad utilitatem communem, sed Princeps
edit eam propter suam utilitatem. Propter hoc idem gloriabundus se iactat Iusti-
nianus in l. prima. C. de cad. toll. dicens: Quod communiter omnibus prodest, hoc
priuatae nostrae utilitati anteponendum censemus, nostrum esse proprium, subie-
ctorum commodum imperialiter existimantes.

Hinc Panormitanus in c. 1. de constit. colligit innocenter defraudari, denega-
riq; iniustam uectigalium pensationem. Quae autem illicita sint uectigalia, Fe-
linus ibidem docet.

Amplius docemur, quae principis sunt non esse uniuersorum. Facebant idcir-
co garrientes omnia publica principis esse, & quae principis sunt inter publica ha-
beri. Stultaq; apparet illa dubitatio, utrum Fiscus & Resp. sint idem. Quis enim
ignorat Rempublicam esse rem populi, & Fiscum rem principis: & ideo dicitur
sum circa legationes in debitore reipub. & debitore filci Marianum respondisse
legimus. Congruentius quaesiuisset Bart. utrum Fiscus & Aerarium essent idem.

Quocirca admonendi sumus, tria esse quorum unum non est alterum, Patrimo-
nium, Fiscum, Aerarium. Habet enim princeps patrimonium, id est facultates
proprias, quarum meminit Africanius in quibus ante Iustinianum, iure commu-
ni cum caeteris utebantur principes. Primus Iustinianus lege a se lata patrimonium
aequauit rebus fiscalibus, ut l. ultima. C. de quat. praescri.

Habet etiam fiscum, nam constituto principi lege regia ad decorum & maie-
statem seruandam, a S. P. Q. R. decreta fuit quaedam publica pecunia, quae fis-
cus dicta est a fiscis, id est a sportulis quibus ea pecunia recondebatur: erant enim
nummorum receptacula, ut manticae, marsupia: autor est Peditanus: quae est pro-
pria ipsius principis, & non alterius pecunia. Ulpianus: Res enim fiscales, inquit,
quasi propriae & priuatae principis sunt.

Est praeterea aerarium, populi pecunia, ab aere, quod condebatur in aede Saturni.
Macrobius meminit, cuius administratio fuit Quaestorum. Pomp. in l. secunda de
orig. iur. Deinde cum aerarium populi auctum esse cepisset, ut essent qui illi praes-
essent, constituti sunt Quaestores, dicti sunt ab eo quod inquirenda & confer-

Ius ad ueram Iustitiam
tantum ad proprium referendum

Primum plani-
tum legis uim n-
quando cum honestate
sunt coniuncta

ij. ij. q. x. c. xl.
c. crit. iij. dist.
Isidorus.

Respublica.
Fiscus.
In l. sciendum.
infra de legat.
Patrimonium.
In l. apud Tullia-
num in si. de le-
ga. 1.

In l. ij. ne quid
in lo. pub. fiat.

Aerarium.
Quaestores.

Cuandæ pecuniæ causa creati essent. Plinius iunior in Panegyrico ad Traianum. At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes, imò tanto maiori, quanto plus tibi licere de tuo quàm publico credis. Ecce quod publica non sunt principis, scilicet iure proprietatis, sed uix administrationis onere.

Ars. Quid causæ est, quod Vlpianus, siue Celsus, Ius artem appellat, & non scientiam? Accursius laborat ostendere, quid est Ars, & ait esse scientiam, quæ arctat infinita. Planus dixisset quod arctis, id est compendiosis documentis dispersas iuris partes restringit. Nam, L. Crassus ille oratorum iurisconsultissimus, & iurisconsultorum eloquentissimus, sæpe pollicitus fertur quædo per ocium licuisset, omne Ius Ciuile, quod tum diffusum & dissipatum erat, ad artem generatim redigere. O utinam nunc Crasse uiueres, quæ tamen sententia non congruit sequentibus uerbis, uidelicet, cuius meritò nos quis sacerdotes appellat. De officio enim boni & æqui uiri Celsus loquitur, quod in actione uersatur, & ideo ius est ars, intelligo exercitium boni & æqui uiri; ueluti Virtus dicitur ars boni hominis; Philosophia, ars sapientiæ studiosi, & iniqui ars nequitia; non enim de Iureconsultorum hic agitur scientia, quæ est non ignorare quicquid legibus scriptum, moribus receptum, prudentum uel autoritate digestum est, in qua cognitione nullum artificium requiritur, præter assiduam lectionem. Aristoteles quinto Ethicorum; Cognoscere iusta & iniusta, nullam sapientiam putant, quoniam de quibus rebus leges loquuntur non difficile est intelligere, sed iusta facere maius negotium est. Hæc ille. Quintilianus: Quæ scripta sunt, aut posita in more ciuitatis, nullam habent difficultatem, cognitionis sunt enim non inuentionis. Ars itaque Iureconsulti, id est boni & æqui uiri, in æquitate colenda consistit, quæ nullo scripto, sed sola recta ratione continetur, & ingenio sapientis concipitur, duce iustitia atque magistra. Soli (Aristoteles inquit) iuris prudentes pertractant ista ueluti manuales artifices, atque perficiunt, quod tantum est, quanti est Iureconsultum esse.

L. Crassus.

Scientia Iureconsultorum.

Dris prudentes pertractant ista ueluti manuales artifices, atque perficiunt, quod tantum est, quanti est Iureconsultum esse.

DE AEQVO ET BONO

Cuius meritò nos quis sacerdotes appellat.

Doctores extra quaerunt, meo iudicio, quod intus habent: scilicet, quare hæc sacerdotis appellatio; quod subiectis uerbis declaratur, Iustitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, unde colligere licet Iureconsultos boni & æqui uiri artem exercere. Item boni & æqui uiri esse, per æquitatem iustitiam colere; denique sacerdotis peculiare ac proprium esse, ex bono & æquo iustitiam colere. Nimirum si ius Pontificium sola æquitate niti dicitur, & quoniam Iureconsulti tales sunt, meritò sacerdotes iuris & iustitiæ nominantur; & eleganter Iustitiam totum hoc iuris corpus, templum à se iustitiæ consecratum concionatur; unde de sit ueluti ministri templorum sacerdotes habeantur, pariter Iureconsulti antistes in templo iustitiæ sacerdotes nuncupentur.

Iustitiam namque colimus.

Scilicet propter seipsam; & hic uerus iustitiæ cultus; alioquin mercenarium esse & abominabile. Cicero primo de legibus, Per se ius est expetendum & colendum; quod si ius, etiam iustitia. Idem Vlpianus; Est enim res sanctissima, Iuris Ciuilis sapientia, quæ pretio nummario non est dehoneftanda. Hinc illiberalis ac semper detestanda uisa est mihi uox illa quorundam, & quod peius est, exijt in pro uerbum, qui cum in aliquem egregium locum inciderint, admonent auditores,

In l. i. de i. c. d. uet. in enuc.

In l. i. d. uar. rog.

notent

A notent, memoria teneant, quia, ut ipsi dicunt, de pane lucrando.

Boni & æqui notitiam profitemur.

Quoniam æquitas est uia ad iustitiam, quam qui ignorat, etiam cultum iustitiæ ignorat. Iungit idcirco Vlpianus hæc duo, Cultum iustitiæ qui in actione consistit, Boni & æqui notitiam quod pertinet ad colendi scientiam, sine qua nemo iustus esse potest. Scite ergo Bal. inquit; Scire in nostra scientia, non est propter scire, sed propter operari bonum & æquum; scientia tamen requiritur non ut finis, sed ut ducens ad finem, quia sine scientia nulla procedit operatio intellectus.

Æquitatis cultus.

Exigit iam locus hic de Bono & æquo uerba faciamus, cuius frequentissima ubique mentio; quid autem sit non uideo satis explicatum. Nemo est qui se non iactet boni & æqui magistrum, etiam imperitus quisque, & in primis mercatores impudenter totum sibi uendicant, in quos acriter Castrensis noster inuehitur, & non iniuria quidem. Accursius putat aliud bonum & aliud æquum ius esse; quæ res Bart. ansam præbuit multa de, Et, coniunctiua dicere, Impertinenter sane & non suo loco labor susceptus: nam hæc duæ dictiones, bonum & æquum, unum eundemque significatum habere in omnibus iuris partibus uidemus. Sic Aristoteles, sic oratores & scriptores omnes. Vsurpatum est etiam dici una uoce æquitatem quam Aristoteles epiciam uocat, nos autem simul bonitatem & æquitatem dicimus. De qua re latissime idem Aristoteles quinto Aethicorum de iustitia iure & iusto tractat non dissimiliter à nostris Iureconsultis, cuius autoritatem sequi in iis quæ plenius explicat, non dedignemur, quem maiores nostri uenerati sunt. Neque his repugnant uerba legis hac lege, C. de pact. con. Et doct. male colligunt aliud bonum esse, aliud æquum, quod iure reprehenditur in mercenarij possessione, ea ratione, quod nihil bonum est, quod non idem sit æquum; & eatenus quid distat à bono, quatenus ab æquo seiungitur. Adde quod ibi nulla æqui fit mentio, sed æquitatis, quatenus æquitatem qui dicit, bonum & æquum dicit; quicquid bonum & æquum dicit, non aliud quam æquitatem loquitur. Verba autem illius legis sunt hæc: Quamuis bonum erat mulieri quæ seipsam marito commisit pati res etiam eiusdem arbitrio gubernari, tamen quoniam legum conditores conuenit æquitatis esse fautores, per bonum intelligo mulieri utile commodum, quod sexus uel recundia & matronali pudore maritus non ipsa res suas negotietur, arg. l. maritus, C. de procur. Item bonum ad charitatem maritalem conciliandam continendamque difficile proculdubio est quin maritus commoueat suspitionis nota, quæ iniuri solet ab administratione motis. Sensus ergo est, licet sit commodum mulieri, non tamen est æquitatis: æquitas autem in hac specie illa est quæ suadet rei quisque suæ sit moderator & autor. Nunc quid ipsa sit æquitas, uideamus.

Uerus est iste intellectus

Æquitas est perfecta ratio quæ leges & omne scriptum dictumque interpretatur, emendat, ex qua ius manat quod bonum & æquum dicitur, nullo scripto comprehensum, sed in sola uera ratione consistens. Quod æquitas perfecta sit ratio, arguitur ex uerbis Pauli in l. ius pluribus, ubi ius à natura scribit semper bonum & æquum esse. Specula, de dispensat. Æquitas est motus rationalis regens misericordiam & rigorem.

Æquitas

Adieci, quæ leges & omne scriptum ac dictum interpretatur, emendat, quoniam æquitatis duæ sunt partes interpretatio, & emendatio. Est præterea quædam generalis æquitas latissime patens; est & alia particularis ab ipsa generali descendens, quæ cuique negotio applicatur interpretando & emendando. Ab ipsa itaque interpretatione incipiamus, quæ frequentior est: Nullum quippe est dictum neque scriptum quod ut primum in controuersam uenit, quin indigeat interpretatione.

C Pomponius de origine iur. His legibus latis, coepit (ut naturaliter euenire solet) ut interpretatio desideraret auctoritatem prudentum, necessariamque disceptationem fori. Et obserua quod non dixit cuiuslibet interpretis, sed prudentis, qui auctoritate ualeat, quae quidem interpretatio ex bono & aequo fieri debet. Bal. Aequitas est fundamentum interpretandi. Idem Bal. Nullum argumentum, nullum decretum, nullamque interpretationem & in similibus casibus recipiendam, nisi in aequitatis solum radices egerit. Colligitur hoc ex ipsis Digestorum libris, ubi quae quid interpretationis legitur, id totum ex bono & aequo manasse apparet; neque alia est haec boni & aequi ars, quam ex bono & aequo interpretari, quod ad uerae iustitiae cultum pertinet. Quod tum efficiemus, cum uoluntate potius quam scriptum, cum quod benignius est, sequemur, cum quod omissum est, suppletur, & generaliter quicquid recta dicat ratio, perficitur.

De primo exemplum est in l. scire oportet, de excreat. tut. ubi Modest. sic loquitur: Etsi uerba hunc habent intellectum, tamen legislatoris mens aliud uult. Per quae uerba Bal. in. d. l. si defunctus, dixit: Aequi enim uiri est, legis mentem non uerba interpretari. Cicero pro aulo Cecinna; Scriptum sequi, calumniatoris est; boni autem iudicis, uoluntatem scriptoris auctoritatemque defendere. Et eum qui pertinaciter a scripto non uult recedere, perniciose errare adulescens Celsus dicere solebat, refert Paulus, l. si seruum, de uerb. obli.

De secundo Caius in regu. iu. Semper in dubijs benigniora praefenda sunt; benignitas enim proprium aequitatis epitheton, cuius contrarium est rigor. Modest. de ll. Nulla iuris ratio, aut aequitatis benignitas patitur, ut quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra commodum ipsorum producamus ad seueritatem.

D De tertio scilicet quod aequitatis sit interpretatione supplere, quod multifariam potest contingere; interdum suppletur uerbum, quod ad perfectionem orationis desideratur, & dictum non scriptum, etiam si non probetur dictum, & uerisimile sit fuisse dictum, l. cum aius, de condit. & demonst. Item quando uerisimile est, si cogitatum fuisset, aut casus accidisset eo tempore quo scribebatur, dictum fuisset, l. tale pactum, §. si, infra de pac. ubi eleganter Accursius conflando regulam, Nota, inquit, de iure id esse seruandum licet statutum non sit, quod uerisimile est, statutum fuisset, si quaesitum fuisset. Aristoteles: Emendetur omissum, quod & legislator ipse, si adesset, utique faceret.

De hac interpretatione suppletua, tota fere l. Gallus tractat Scaeuola, & Papinianus in l. quaesitum, infra de testibus, quod omissum erat in l. Remia, & Iulia de publi. iudi. & Iulia peculatus, iudicantis religione supplendum respondit, & in l. non possunt, & l. nam ut ait Pedius de ll. ex bono & aequo, ad similia interpretatio exercenda traditur. Vlp. in l. oratio, de spons. Interdum etiam dictum generale, aut indifferens aequitas moderatur, & cohibet. Exemplum: Praetor edixit ne quis eum qui in ius uocatus, uel eximat; Offilius interpretatione restrinxit ad personas quae uocari in ius poterant. Paulus adiecit, inquit; Eadem aequitas in eo qui alio quam quo debuerat, in ius uocabatur. Aliud exemplum in l. adigere de iur. patro. & l. gradatim de mune. & hono.

Eadem aequitate recepta est illa Baldi sententia, dicentis: Mitius cum eo agendum qui fortuito occidit, lex licet occisorem occidi iubeat. Per quam sententiam Bartolomaeus Veronen. lib. cautelarum meminisse se iudicio liberasse illum qui noctu praetereunte iactu per lasciuiam lapidis occiderat; similiter & sessorum currentis equi qui inuitus hominem contriuerat, Castren. in l. i. de legib. tradit: Legi quae iubet homicidam capite truncari, nisi intra mensem centum fisco intulerit, locum non

A non esse in eo, qui imprudens occidit. Idem Bald. in l. quicumque de seruis fug. regulare esse prodidit, ut cesset lex quae corporalem poenam infligit, si dolo non delinquitur.

Sola itaque aequitas est, quae scripta, dicta, factaque non solum in legibus, uerum etiam testamentis, caeterisque hominum actibus recte interpretando aperit, distinguit, dilatat, cohibet, supplet, praedudicat, ut recta suadet ratio, cuius ueri ministri sunt Iureconsulti, ut hic & toto Digestorum corpore liquet, Cicero. i. Rhetor. Negocialis est interpretatio, in qua quid iuris ex ciuili more, & aequitate sit, consideratur, cui diligentiae praesse apud nos Iureconsulti existimantur. Transueamus nunc ad emendationem, & haec duplex, scilicet alia suppletua, alia correctiua. Ius praetorium est quod Praetores introduxerunt, adiuuandi, aut supplendi, aut corrigendi iuris Ciuilis gratia propter publicam utilitatem. Et haec suppletua multiplex, Aliquando suppletur ex mente, uel coniectura, de qua haecenus satis multa diximus; Aliquando praeter mentem, & non ob aliud, nisi quod bonum est & aequum suppleri. Aristoteles: Quando accidit quod rectum est omissum a legislatore, emendetur omissum. Haec est natura, inquit, boni & aequi, emendatio, scilicet legis in quo omissum est. Causa autem est quod talia quaedam sunt, ut de ipsis lex ferri non possit, itaque decreto opus est. Haec Aristoteles, Iulianus de legibus; Neque leges, neque S. C. ita scribi possunt, ut omnes casus qui quandoque inciderint, comprehendantur; sed sufficit ea quae plerumque accidunt contineri, & ideo de his quae primo constituuntur aut interpretatione, aut constitutione optimi Principis esset ius statuendum. Ecce quam liquidum est posse suppleri omissa per interpretationem. Nam idem Vlpianus, ut Pedius ait, uel interpretatione, uel certa iurisdictione supplendum tradidit. Suppletur etiam constitutione, quando casus praeter legis considerationem accidunt; & obserua quod ait optimi principis, & non cuiusque principis constitutione, cuius naturale est ex bo. & aeq. & non ex suis commodis supplere. Suppletur itaque aut interpretatione, si mens legislatoris concurrat; aut emendatione, id est, constitutione, si praeter mentem accidat.

Alia emendationis est species, quae tum sit, cum aliquid legi additur, uel detrahatur ex bona causa, & dicitur correctio. Cynus: Emendare est in melius reformare. Aristoteles: Emendare lex permittat, quod uidebitur conantibus in melius disponere, quam sicut iacet. Exemplum est in c. statutum de rescript. lib. sex, quae utraque emendatio, scilicet suppletua & correctiua est principis, & eorum quibus princeps, uel lex delegauit, de qua Imperator: Inter ius, inquit, & aequitatem non bis solis, & licet & oportet inspicere. Nobis solis, intelligo, & quibus nos uel lex delegauerit, ut Romae praetoribus. De interpretatiua aequitate non loquitur, quia iuris prudentibus, & iudicibus id munus creditum fuit, nimirum quod cum imperio esse debet tam qui corrigit, quam qui leges condit; & ideo Aristoteles, in his quae emendatione indigent, decreto opus esse dixit. Pau. de reg. iur. In ambiguis quod aequitatem desiderij naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur, iustis decretis res temperanda est, & idcirco Aristoteles uult constitui certos magistratus, qui emendandi legibus praesint. Lib. iij. Politicorum inquit: In quibus lex aut prouidere non potest omnino, aut non bene prouidere, sit multitudo liberorum hominum, qui nihil agant praeter legem, nisi in quibus lex ipsa necessario deficit. Rursus idem: Qui Reipub. praest, siue unus, siue plures sint, in his potestatem habere debent, in quibus leges cauere non possunt. Non sine mysterio ergo dixit Vlpianus, siue Pedius, in l. nam ut ait de legibus, & certa iurisdictione suppleri, intelligo certis magistratibus ad id constitutis. Sapienter ergo maiores nostri Principibus, se natum, & praetoribus id munus delegarunt.

In l. si defunctus. C. de suis & leg. De pac. iur. §. c. ad haec.

Exemplum in l. cum pater. §. cum imperfecta & l. unum. §. si. d. leg. ij. §. l. i. et l. quotiens. de her. inst.

In l. data opera. C. qui accus.

L. ius autem §. ius praetorium.

In l. edita. C. de edem.

In l. c. de ll.

C Dixi postremo ex qua ius manat, quod bonum & æquū dicitur nullo scripto comprehensum. Iuris uocabulum generale est, cuius species sunt ius legitimum & id quod bonum & æquum est. Ideo Aristoteles dixit non idem esse simpliciter, nec aliud genere; quādo iuris uocabulum æquitati obijcitur, semper ius legitimum intelligitur, id est in tabulis, aut moribus utentium expressum. Æquitatis autem uerbo ius nō legitimum significatur, & per hoc nullo scripto comprehensum. Imperator Alexander: Et quæ à Diuo A. patre meo, & quæ à me rescripta sunt, cū iuris & æquitatis rationibus congruūt. Cic. primo de Oratore: Multa Crassus tum contra scriptū pro bo. & æq. dixit. Idem pro A. Cecinna: Certissimo, inquit, iure niteretur si uti uelit iure moribusq; concessio, sed causam suā iudices uult uobis æquam probari, non modo certam, & æquitæ quoque, non modo iure niti.

Non ob aliud Cicero ius legitimum certissimū appellat, & causam quæ ipso nititur certam, nisi quia scriptū est & clarum, tum in tabulis, tum moribus utentium, ad differentiam æquitatis, quæ ius scriptum non est, & propterea incertum à prudentum pendens iudicio, de quo recte censere non cuiusuis est iuris periti, sed eius qui bo. & æq. est. Ideoq; ars dicitur quod non minimum opificij exigatur in æquitate cōstituenda. Cōstituitur autem uarie ex negocij qualitate, circumstantijs pensculatis, ut personarum dignitate, & rerum, & temporum, & locorū cōditione. Vlp. in. l. & si quis, de religi. & sump. fun. Hæc actio quæ funeraria dicitur, ex bo. & æq. oritur: æquum autem accipitur ex dignitate eius, qui funeratus est, ex causa, ex tempore, ex bo. fide, hæc Vlpianus. Nam natura ita cōparatum est, quod pleraq; sunt quæ nulla lege, nullis que finibus præscribi possunt: pensanda igitur ex bono & æquo, ut res inciderit, est necesse. Hinc est quod in

D omnibus arbitrarijs, non alio iure decernitur, quā bo. & æq. insti. de actio. Præterea quasdam actiones arbitrarias, id est, ex arbitrio iudicis pendentes appellamus. In ijs enim actionibus & alijs similibus permittitur iudici ex bono & æq. secundum cuiusq; rei naturam, de qua actum est, æstimare, quemadmodū actori satisfieri oporteat, similiter bo. fidei iudicij agitur. Ideoq; bo. fidei dicuntur, quia in ijs ex bo. & æq. fit iudicatio, id est ad id quod æquum censebitur ultra scripto cautum.

Julianus in ijs contractibus alter alteri obligatur, de eo quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, id est. Accursius inquit, non de eo solo quod cautum est.

Idem Accursius, in actionibus bo. fidei ueniūt etiam ea, de quibus neq; actū, neque cogitatum est. Ratio: quoniam sicut bonum & æquum, de non scripto uenit, sic de nō scripto, uel non dicto iudicat. Manifestum fit igitur bo. & æq. ius siue æquitatem scripto incomprehensibilem esse. Est enim ius latissimum profundissimumq; supra captum humanū. Quintilianus de Cōtra. legibus: Vtrum melius atque æquius nihil præcipi nisi proposita materia potest. Adde quod æquitatis, scilicet particularis nullus usus est ante ius scriptum, ad cuius interpretationem uel emendationem accedit extrinsecus, nam antequam lex ulla scriberetur, nullum discrimen erat inter ius & æquitatem: & ueluti dicimus ante seruitutem manumissiones fuisse incognitas, sic ante ius scriptum, ius bo. & æq. incognitum. Si quidem æquitas uenit ad emendandum atq; interpretandum ius scriptum, proculdubio nō ante erit, quā existat id quod interpretatione aut emendatione eget. Exemplum in iure prætorio, quod est æquitatis fluuius, non ante neq; unā cum ipsis XII. tabu. in usu fuit, sed lōge postea ingruentibus necessitatibus & æquitate impellēte. Et si dixerit aliquis, æquitas ubi exijt in edicta Prætorum,

A tum, nonne scriptū ius est: concedo, sed ut scripta fuit, desijt appellari æquitas, & cœpit ius prætorij siue honorarium uocitari. Et quæq; aliæ leges ex bo. & æq. uulgatae, mox iuris legitimi nomen susceperunt, ueluti consuetudo, ut scripta legitur, statim inceptit ius scriptum esse.

Et propterea uereor uerā ne non sit illa distinctio de æquitate scripta & non scripta, quia improprium uidetur æquitatis scripto contineri, quin in aliam speciem & nomen iuris transeat. Probari hæc omnia toto Pandectarum corpore nō est dubium, & præcipue Pomponij uerbis: Hæc disputatio & hoc ius, quod sine scripto uenit compositum à prudentibus, propria parte aliqua, non appellatur ut cæteræ partes iuris suis nominibus designantur, datis proprijs nominibus cæteris partibus, sed cōmuni nomine appellatur Ius Ciuile. Ecce ius interpretatorij ex nō scripto uenire, quod supra ex bo. & æq. esse ostendemus, ubi in scripta redigitur, ut aliam formam, sic aliud suscipit nomen.

Vocabulum itaq; æquitatis simpliciter enunciatum, semper intelligendum est iuris boni & æqui nullo scripto comprehensi: haud tamen inepte dicimus, hæc lex est æqua: illa constitutio est ex bo. & æq. & quotiēs duæ sunt cōtrariæ leges, scite distinguūt illa ex bo. & æq. hæc stricto & duro. Verāq; ac notatu digna illa Accursij sententia, qua protulit eam legem præferendam quæ ex bo. & æq. esset: Adiecitq; quæ æquitate uincit, alterā semper corrigere: quod Imola monet obseruandū. Ratio in promptu, ut cōtrariæ pugnātes altera alteram elidere, & hac ratione cæte Quintilianus in tractatu de Contrarijs legibus, plures inter se cōtrarias leges non posse consistere, quin altera aboleatur ab altera. Est quoq; alia iuris diuisio in illud quod bonum, & æquum, & illud quod strictum dicitur: Aristoteles appellat exactius. Rursus & hoc strictum in id quod strictum uocatur, ad differentiam iuris latioris, aliud strictum, quod iniquū, callidum, sophisticum.

Stricti iuris tres esse species nō incite Accursius tradit in l. placuit. C. de iud. Prima stricti species est, quæ uocabulorum angustijs cohibetur, ad differentiam æquitatis, quæ latius patet: & sicut illud strictæ exactæq; interpretationis est, ita hoc latioris, benigniorisq; est sensus, qd' usu tum uenit, cū de aliquo scripto interpretando incidūt quæstiones de bo. & æq. stricto & iniquo: altero litigatorū uoluntatem sequendam, altero uerborum proprietati pertinaciter hærendū contentente: de quibus Cicero in oratione pro Cecinna bellissime sic egit: Me ex hoc, inquit (ut ita dicā) campo æquitatis ad istas uerborū angustias, & ad omnes literarū angulos reuocas, in his ipsi intercludere uis insidijs, quas mihi conaris opponere: non deieci inquis, sed eieci, peracutum hoc tibi uidetur. Exempla autem nobis patent in contractibus bo. fi. & stricti iuris, qui nō ob aliud diuersa sortiti sunt nomina, quā quod in unis uberior ex bo. et æq. fit interpretatio, in alijs angustior.

Alia stricti species iniqui, cauillatorij, qd' summū ius ueteres dixerunt, pro summa iniuria, summa malitia. Cicero. i. de offi. Existunt etiam sæpe iniuriæ calumnia & nimis callida iuris interpretatione, ex quo illud, summum ius summa iniuria, factum est iam tritum sermone proverbium. Hæc species est perniciosior superscripta, quoniam in illa solū scriptum defenditur, in hac quisq; uoluntatis se iactat assertorē. Alius lata & aperta æquitatis uia, alius tortuosa incedit semita, & hypocrita defensione uolūtati insidiatur, & quasi præstigijs quibusdā conatur eludere iudicantē, iniquū pro æquo suadendo, in quo genere Cic. pro Cecinna sic dixit: Vociferatur ex bo. & æq. non ex callido uersutoq; iure rem iudicari oportere, scriptū sequi, calumniatoris esse, boniq; iudicis uoluntatem scriptoris, autoritatemq; defendere, cuius iuris sectatores Acridodiceos appellat Aristoteles, quasi præduri interpretes iuris, deteriorisq; studiosos, ut apulissime interpre-

De qua doctores in l. i. c. de legi. & l. placuit. C. de iud. in l. ij. de orig. iur.

In l. Cotē ferro §. si. de public. ca.

Cōtractus bonæ fidei.

In l. placuit de iud.

Arbitrarie actiones.

Bonæ fidei.

In l. ex cōsensu de act. et oblig.

In §. actionum cuius insit. de act.

C tatur Budæus. Nec in diuersa Constantinus rescripsit specie, in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ & æquitatis, quàm stricti iuris rationem.

Admonet enim iudices, quoties inter sese pugnant scriptum & uoluntas, aut scripti tantum, aut uoluntatis est quæstio. Alter ex bo. & æq. uoluntatem defendit: alter uerborum aucupio, uel aliàs callida interpretatione deludit boni & æquæ rationem sequendam, & strictum & uersutum ius aspernandum, & sic omnis quæstio iuris stricti, & bo. & æq. de aliquo scripto uel dicto interpretando: & sicut interpretatio extrinsecus ex non scripto uenit, sic ius strictum uel æquum dici non potest scriptum, nisi non inepte contendas nullum ius strictum, quin sit scriptum: nisi scriptum sit, non potest iuris nomine honestari: quoniam satis sua iniquitate à iuris commercio eliminatur, siue accipias strictum pro rigido, siue summum, id est iniustum. Vnde Columella primo de re rust. summum ius, inquit, crucem esse.

Nec ignorandum Cicerone & Quintiliano autoribus, summa ac frequentissima apud Iureconsultos semper est scripti & uoluntatis quæstio, quibus subtilis nullius negotij est talis peritia. Aut itaq; est quæstio scripti tantum, aut uoluntatis tantum, aut scripti & uoluntatis simul. Scripti tantum est quæstio, quando scriptum est obscurum uel dubium, uoluntas clara: ex diuerso uoluntatis tum est quæstio, quando scriptum est apertum uoluntas dubia. Quæstio autem scripti simul & uoluntatis duobus modis potest contingere: uno quando utrumq; est in obscuro, altero modo quando utrumq; est clarum, & tamen inter se pugnant. Exemplum est in l. iij. de leg. i. Scripti appellatione Quintilianus tradit contineri non solum quæ in legibus scripta, sed etiã testamentis, pactis, stipulationibus, & quicquid scripto comprehenditur, similiter & uoce enunciatur. In his quæstionibus stricti iuris est scriptum sequi, æquitatis uero, uoluntatem.

D Distinguiamus nunc quomodo inter se differant. Ius primo est genus, ubi uero species stat, scripto certum constans omnibus idem.

Æquitas scripto accedit, interpretando, emendando, molliendo, comprimendo, dilatando, ut rei natura exigit, & est illa recta à natura ratio non scripta, sed hominum animis insita, de singulis decenter, humanitasq; discernens. Præclare igitur Donatus in Terentiū definiuit: Ius est, inquit, quod omnia recta & inflexibilia exigit. Æquitas est quæ ex iure multum remittit: inde leges surdæ & inexorabiles à sapientibus dictæ. Hinc æquitas aurita, benigna, circumspecta, & ab Aristotele aptissime assimilatur Lesbicæ regulæ, quæ plumbea est, pro arbitrato flexibilis, quæq; ad structuras ubi cogit necessitas inflectitur, seseq; accommodat.

Ex contrario ius non Lesbicis, id est non plumbeis regulis comparatur, sed alijs inflexibilis materiæ regulis quæ structuram ad se æquabilem exigunt, & ideo immobile, durum, inexorabile: et propterea optime Bal. æquitatem definit congruentiam esse quandam in principijs iuris naturalis fundatam, in l. si defunctus. C. de iuis & legit.

Nec tamen semper mitius agit in delictis, sed interdum acerbius, ut l. quid erogo. §. poena grauior de infamib. l. aut facta. §. si. de poenis. & l. si quis seruo alieno suaserit. C. de furt.

Suetonius in Claudio: Nec semper præscripta legum secutus duritiam, lenitatemq; multarum ex bo. & æq. perinde ut afficeretur, moderatus est, nam et his qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones, & in maiore fraude conuictos, legitimam poenam supergressus ad bestias condemnauit. Concordant cum his documenta Martiani in l. respiciendum. de poenis.

E P I T O M A.

Collige iuris uerbum æquitati obiectum aut comparatum de legitimo intelligi, æquitatis uero de non legitimo.

Illud à scripto pendet & uiget, hoc scripto accedit & de non scripto uenit.

Scripti & uoluntatis quæstiones.

Ius. Æquitas.

Lex

A Lex generaliter futuris negocijs prouidet. Æquitas specialiter anomalis presentibus uel futuris succurrit. Lex scribitur de his quæ frequenter accidunt. Æquitas exercetur etiam in his, quæ rarius. Ius aut iubet, aut uetat, aut permittit, statuit uel punit. Æquitas illud interpretatur, emendat, moderatur, extendit, lenit, exasperat, ut ratio congruitatis exposcit.

DE IVRE NATURALI

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit, nam ius istud non solum humani generis proprium est, sed omnium animalium que in terra, quæ in cælo mariq; nascuntur, auium quoq; commune est. Hinc descendit maris atq; foeminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim cætera quoque animalia, feras etiam bestias istius iuris peritia censer.

Quid illud est, quod natura omnia animalia docuit: & utiq; non aliud est quam sese ac propriam speciem conseruare uelle, saluumq; esse. Cicero quarto de finibus bo. Omnis natura uult esse conseruatricis sui, ut salua sit, & in suo genere conseruetur. Et Bald. Naturale est, inquit, ut unumquodq; studeat conseruationi sui ipsius. Quod hic huius loci uerus sit sensus, idem Cic. primo offic. docet his uerbis: Principio generi animantium omni est à natura tributum, ut se, uitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea quæ ei nocitura uidentur, quæq; sint ad uiuendum necessaria inquirat & paret, ut pastum, & latibula, & alia eiusdem generis. Comune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum quæ procreata sunt. Hæc Ciceronis cum Vlpiani uerbis multum congruentia.

Ex hoc dogmate quod omne animal sponte suapteq; natura seipsum & in suo genere tueri propagareq; studeat, planè intelligimus omnia illa iuris animantium esse, sine quibus huiusmodi conseruatio fieri nequit. Quæ autem sunt ista, ex scriptis Vlpiani & Ciceronis uerbis liquet, cuncta in primis ad uitam necessaria querere & parare, ut pastus & latibula feris, sic alimenta nobis, & habitationes. Ex quibus collige appetitum & sollicitudinem acquirendi esse à natura communi animantium. Lactantius sexto diuin. inst. Cupiditas ad ea comparanda nobis data est, quæ sunt ad uitam necessaria. Similiter habitationis usus, & domiciliorum ædificationes, ut patet in latebris ferarum, auium nidis, & fauis apium mira arte constructis. Et obseruandum est quædam esse ad conseruationem sui ipsius, quædam speciei. Conseruatur autem unumquodq; cum alimentis, tum cautione, & depulsiōe eorum quæ possent nocere, & per hoc à natura instruimur uim ui repellere, non autem iniuriam, quæ hoc iure incognita est.

Querere itaq; & parare ad uictum necessaria, usq; adeo iuris sunt natura, quod eorum prohibitio est occidere. Paulus de libris agnosce. Necare non solum is uidetur qui partum præfocat, sed & is qui abiicit, & qui alimoniam denegat.

Quod latius patere mihi persuadeo, ut non infanti aut imbecilliori solum, uerum etiam qui esurienti cuiq; uictum intercipit, occidisse uideatur.

Similiter & qui fame percunt escam ultro non porrigit, quinimo si eripienti non cedat, uim fecisse uideri. Ambrosius in interpret. Euangel. Violenter

In l. omnes potuli.

Vt l. legatis et l. si. de al. et cib l. et. l. uictus et l. quos nos. §. si. de uer. sig.

C obtineri quicquid supra sumptus est. Io. Glossator; Per uolentiā dicitur auferre, qui tempore necessitatis supra necessitatem sibi retinet. Rursus idem Ambr. Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam cum possis & abundans sis, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines.

Hinc uulgò dicitur, furti eum non teneri, qui tantillum esuriens furatus, quo famem pellat. Haud diuersum fortè statuendū in nudo, qui sauiente frigore uile tegumentum surripuit, neque alia ratione tegere se poterat. Quæ omnia intelligo ex sententia eiusdem Ioannis, modò is à quo eripitur, aut qui denegat, pari necessitate non prematur.

86. dist. c. nō factis. argumen. in l. quos nos. §. si. l. uerbo uictus. de uerb. si gnif. et c. si quis propter necessitatem. de furt.

Nec quisquam putet me existimare, hæc ista inter feras bestias ueluti inter homines esse criminosa; ipsum duntaxat factum est à natura cōmuni, nō autem qualitas flagitiosi; nam quod eorū feritati imputatur, nobis alio iure uitio ascribitur.

Altera conseruandi ratio uersatur in declinatione eorum quæ nocere possent, quod duobus consequimur, cautione aduersus dolos, & aduersus uim defensionem. Præsentiant enim & cauent dolos etiam feræ bestia, & ad impetus sustinentes, repellendosq; sese colligunt, muniunt; unde fit, omnia illa iuris animantium esse, sine quibus uitæ incolumitas seruari nequit. Et propterea non ineleganter fortè contendit potest, nulla lege prohiberi posse, ne quis innocuis indutus armis incedat, uti sunt lorica, & id genus reliqua quæ corpus protegent, nisi iustissima repugnet causa. Verum me fugit quæ iusta queat esse causa prohibendi uitio nem corporis.

Quæ tamen omnia mensura necessitatis terminantur. Nam cætera animalia ultra necessitatem neq; partum quærunt, neque defensione se tuentur. Et quamuis nō eadem necessitatis mensura sit in brutis atq; hominibus, quinimo nec omnium hominum mensura est eadem, cum ex personarum qualitate & dignitate uarietur, nihilo tamen minus censetur id esse secundū naturam uiuere. Cicero quinto de finib. Cum dicimus omnibus animalibus extremum esse, secundum naturam uiuere, non ita accipiendū est, quasi dicamus unum omnium extremū, sed naturas esse diuersas, ut aliud equo, aliud boui, aliud homini, & tamen omnibus summa communis est.

Hactenus de indiuiduo conseruando dictum, nunc quomodo perpetuatur dicendum est. Nam singula quæq; caduca & occidua sunt, successiua tamen prole fiunt genere perpetua. Callistratus in l. liberorū, de uerb. sig. Etenim idcirco filios filiasq; concipimus, ut ex prole eorum earum uel diuturnitatis nobis memoriam in longum æuum relinquamus.

Coniunctione itaq; maris & foeminae fit hæc speciei conseruatio, & ideo coniunctionis appetitus natura insitus est, scilicet procreandi causa, ut bellissime inquit Cicero, Nec aliud sensit Vlpianus, dicens; Hinc maris atq; foeminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus, Ex eo quod ait animalium coniunctio nem nos matrimonium appellare, intelligit cōiunctionem liberorū causa. Idem Callistratus; Natura nos docet parentes pios, qui procreandorum liberorū causa uxores ducimus. Quæ liberorum causa usque adeo ad connubium est necessaria, ut nō consistat, si ea lege contrahitur, ne liberis detur opera. Adde, quod iure contracta matrimonia rescinduntur, si exploratum fiat, alterū coniugem ad procreationem perpetuò ineptum.

c. si. de condi. ppos.

Toto titulo de frig. et malefic.

Quod cōiunctionis appetitus procreandi causa cōmunis omnium sit animantium, ex ipsis mutis condiscimus, quæ naturæ specula à sapientibus dicuntur: cum omnium, excepto homine, consuetudinem contemplamur, quæ mox suscepto foetu maribus repugnant. Neq; mirū si in homine diuersum, ueluti sermo, ratio, uoluntas, quorū ductu naturæ obediens esse debemus. Imperio enim rationis

cohibere

A cohibere uoluptatis impetus hominem decet, nam uirtus, ait Apostolus, in infirmitate perficitur, & in fornace probatur aurū; etenim ibi nulla castimonie laus est, ubi cessat libidinis titillatio. Igitur totum hoc Deus in hominum uoluntate reposuit, ut abstinento bene mereri gauderent.

Obserua coitum, qui non gratia liberorum fit, non esse secundum naturam, sed omnino uitiosum. Beatus Greg. lib. xxxij. in Job; Tunc solū coniuges sine culpa in admixtione sunt, cum non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscetur. Ambrosius super Lucam; Qui nō causa procreandæ sobolis, sed explendæ libidinis sibi inuicem copulantur, non tam coniuges quam fornicarij uidentur. Diuus Hieronymus contra Iouianum hæreticum; Certe qui se causa Reipub. & generis humani uxoribus iungi dicunt, & filios procreare, imitentur saltem pecudes, ut postq; ueter intumuerit nō perdāt filios, nec amatores se uxoribus præbeant, sed maritos. Neq; pugnat hæc cum Apostolo ad Cor. Propter fornicationem quisq; habeat uxorem suam. loquitur enim libidinosus continere se nescientibus; at hic agitur de proprio & iusto usu marrimonij. Ex quibus arguitur inconcessum, ac periculosum post conceptum foetum mulieribus iungi, tum quod non liberorum causa coitur, tum quod tumidus uenter non sine periculo subigitur.

Haud improbabiler fortassis ergo insignis Thomas Docius Senensis putauit prægnanti non licere ante partum nubere, de qua non est uerisimile, inquit, Apostolum dixisse, uiro mortuo nubat in domino, maxime propter periculum uentris ex ardenti coeuntium confricatione. Multos profecto audiui ex hac causa fieri abortus. Propter quod arbitror quando contingit partus propter coitum abigi, coeuntes inter innocentes non esse, & extra ordinem forte plectendos. Non itaq; culpa carent, qui uentris periculum effrenatæ postponūt libidini.

xxxij. q. iij. c. origo. et q. vij. c. non solū.

xij. dist. c. nec ui. §. penul.

xxxij. q. iij. c. origo.

In l. liberorū. de infam.

IN LEGEM VT VIM

FLORENTINVS.

Vt uim atq; iniuriam propulsemus, nam hoc iure euenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur, & cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse.

Nota, natura, id est, uel diuina, cognationē inter homines inuolabilem cōstitutam esse. Et idcirco nefas, id est, contra legem diuinā fore, hominē homini insidiari, id est, ex animo nocere. Isidorus v. arymo. Lex diuina fas est, lex humana ius est. Cic. ij. Officiorū; Aduersus deos immortales impij iudicādi sunt, qui ab ipsis constitutam societatem inter homines euertunt. hinc efficitur, contra ius naturale siue diuinum esse quicquid fit, per quod humanus conuictus dirumpitur, & propterea impium & immane.

Quid est uim atq; iniuriam propulsare? Et utiq; non aliud est, quam instātem imminentem uel uim aut iniuriam repellere. Est ergo defensio, instātem imminētis uel offensionis propulsatio; ab offensione enim usq; adeo pendet defensio, ut ubi cessat offensio, nulla queat esse defensio; etenim ubi uis aut iniuria cessat, non est quod propulsari queat. Est itaq; defensio perstare in finibus depellēdi uim & iniuriam ueluti oppidum defendentibus, pro muris, pro portis, pro stationibus pugnare, & impetus hostiū amoliri, & propterea quādiu urget aggressor, pro-

i. dist. c. omnes.

Vim aut iniuriam propulsare Defensio. Offensio.

C pulsationi infisti conuenit: ubi uero coeperit pedem referre, cedere aut fugere, mox depellendi cessat necessitas, nisi pedem referat animo sese ad redintegranda pugnam colligendi. Et idcirco si cedentem fugientem uel insequimur, non propulsare, sed uim, seu uindictam facere dicimur. Probantur hæc ultra doctorum traditiones, hoc solo uerbo propulsamus.

Vindicta facere

Imminentem uim dixi, quoniam Accursij, Bartoli, Baldi, & omnium consensus non debet expectari percussio, sed sufficere armorum terrorem. Immo si præcedant, inquit Bartolus, signa & actus manifestæ uoluntatis nocendi, etiam sola minæ ab eo qui consueuit exequi, si Accursio & Cyno credimus. Quod eleganter Baldus ita demum admittendum putat, si minas sequantur actus & argumenta ad nocendum. Plus notauit apud Iasonem scripsisse Baldum, licere aduersarium præueniendo cedere, quando uidet præparamenta ad offendendum, & ita ex facto iudicatum. Idem Accursius & Baldus in eadem l. i. & Ang. Aret. in malefici exemplificat in eo qui post minas iussit uocari socios, & præstolatur: ex quibus decidi posse arbitror, si uidero inimicum ex pharetra sagittam educere antequam incuruet arcum, præuenire etiã percutiendo licere, similiter ne lanceam uel aliud telum capiat. Et denique generaliter ex eorundem sententia definiendum ubi cum ceteratio periculosa est, præuenire semper iustæ defensionis esse. Caius ad l. aquili. Si seruum tuum latronem mihi insidiantem occidero, securus ero, Nam aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere.

D Ex eisdem etiam deciditur quod dixi, si aduersarium retrocedentem pergis percutere, intelligendum uindictam non defensionem esse, nisi ille ex industria pedem referat, animo uires resumendi ad acrius pugnandum, quo casu iustissima est defensio, quæ præcipit nocendi facultatem, & ideo urgere cedentem inimicum & eius consilia præuenire, ne uires neue spiritus resumere ad offendendum ualeat, defendentis esse. Recte ergo Bar. putat percusso licere repercutere, & occidere quando iuste timet iterum percuti: iustum uerum metum in incerto præsumi dicunt omnes, si instat inimicus.

Ex hac definitione liquet non solum quid est defendere, uerum etiam quid est inculcate defendere.

Nota ergo non solum uim uel ui repellere licere, uerum etiam iniuriam, & iniuriam qui facit, offendere, & iniuriam qui propulsat, defendere.

Item non satis fore propulsatam esse uim, nisi & iniuria propulsetur: & sic ex ui propulsata, non intelligitur iniuria propulsata. Neque recipiendam illam expositionem arbitror, Vt uim atque iniuriam, pro ui iniuriosa, alioquin à furioso uis illata propulsari non quiret: neque notoris iuris consultorij est sic loqui, immo ineptiã incusari posset, & contra naturam interiectæ dictionis Atque. Nulli profecto dubium sciuisset iureconsultus contra uim iniuriosam dicere si uoluisset, & interpretationem quæ cum uerbis pugnet reijciendam. Similiter ineptior est illa, Tutela est uis ac potestas, id est, uiolenta potestas.

De duobus sæpe multumque dubitauit, Primum est, utrum uere propulsari uerbis queat iniuria.

Secundum, quæ defensio claris hominibus sit aduersus humiliores, uim uel conuicium facientes.

Verbalis iniuria.

De primo mouet dubitationem, quod non sic conuicialis uti alia offensio ualeat repelli: fieri enim potest defendendo, ut neque te, neque tua percussor tangat, quod uere est propulsare. Verba autem contumeliosa quin mox te dilacerent fieri non potest, eodem utique momento emissa feriunt existimationem, uerecundiam, & dignitatem nostram, nec nisi post susceptam contumeliam remedium adhibetur, quod suapte natura uindicta potius quam defensio existimari solet.

Quomodo

A Quomodo ergo Florentinus iniuriam propulsandam dixit? nunquid conuicium conuicio repellitur, iuxta l. Quæ omnia, infra de procur. quod forte inter pares admittendum est, & similiter si honestior humiliori conuicietur, illeque tunc retro male dicat, & ex eo quod confestim recriminatio fit, depulsationi magis uideatur adscribenda.

Altera dubitatio. Plebeius uirum patritium uel alium conspicue dignitatis conuicij infectatur, nam maledictis digladiandū cum linguaci forte, aut inuerecundo nebulone, quo cum (hoc istud solū) uerbis contendere ignominiosum est. Nulla profecto uerbalis defensio cum eo est, cui nec par contumelia referri potest, nisi forte eius maledictia male uapulando retundat. Quid si idem sine conuicij irruens uim facere, repulsus, non potuerit: an ueluti uis est reiecta, pariter contumelia propulsata censeatur? subsisto. Aliquid omnino uelle uidetur hæc uerba, Vt uim atque iniuriam propulsemus, quod non satis sit propulsatam esse uim, nisi & iniuriam propulset.

Aufus præterea ille irreuerens & dignitas ignominiose lacerata aliquid supra uulgarem depulsionem mereri uidetur, ut iniuria possit dici propulsata crescere.

Vlpia, tradit iniuriam ex persona faciētis: & Imp. Iustinia, atrocem definit, si seniori ab humili facta sit iniuria, aut parenti, patronoue fiat à liberis, uel libertis.

In l. unius de iniur.

Difficultas ergo stat, utrum sola ui reiecta satisfactum sit ignominia: & utrum non nihil intersit nobilem ab ignobili uel pari contumeliose inuadi.

In insti. de ina-

Et aduerte animum quod de propulsanda, non autem uindicanda iniuria loquimur: & uindicta non propulsat, sed uindicat, nisi æquius censeatur, ubi uere propulsatio fieri non potest, uindicta ex continentia facta pro defensione sit.

B Quid autem statuendum sit, nondum didici: uerum sic ratiocinari fortassis haud inconuenit: Grauior honoris est iactura quam rerum, sed pro rebus defendendis licet percutere, fortius ergo pro honore conseruando licet percutere: sic argumentatur Bart. in l. i. c. Vnde ui.

l. i. c. unde ui. & c. si persona diens de homi.

Rursus æque iusta causa est honoris & uitæ conseruandæ, sed pro uita tuenda iuste aduersarius percutitur, similiter & pro honore tuendo iuste uapulabit.

Vnde consequens fieri uidetur in his speciebus, cum obscuræ conditionis conuiciatore uel aggressore uerberibus iustior fiat defensio, ubi neque maledictis, neque sola repulsa susceptæ iniuriæ sit satis.

His etiam præstat argumentum, quod ubi contumelia ob egestatem peccatoris pecunia uindicari nequit, poena corporali uindicatur. Multum contermina & cognata sunt defensio & uindicta, & unum pro altero usurpatum in multis iuris partibus uidemus.

Et ideo de uno fortassis ad alterum argumenta ducere aliquando non est incongruum. Quæ omnia disputationis gratia spargere ad excitanda argutorum ingenia, operæ precium uisum fuit.

Iam de inculcata tutela uideamus.

Accursius tres eius partes constituit. Primam, ut inermis cum inermi, armatus cum armato & pari telorum genere. Vnde Bal. infert, petentem te telo non licere arcu depellere. Secundam, ut ilico fiat. Tertiam, quod ad defensionem & non uindictam. Quam Accursij traditionem omnes sequuntur, mihi autem iniqua aut saltim periculosa uidetur.

Nam duo postrema hæc, ut ex continentia fiat, & non ad uindictam, sunt ad eam propria propulsationis, quod sine ipsis non est defensio, & ideo nihil ad moderationem, nisi quod ubi defensio non est, nequit consistere moderationis qualitas.

Hoc ultimum Bartolus, Baldus, & ceteri intelligunt quod defendendi animo, & non ulciscendi fiat, ipse uero subsisto.

Quoniam defensio plus facti habet quam iuris, silere leges inter defensoria arma facta

Cipienter dixit Cicero, & confessione omnium idcirco arbitraria est cognitio, ipsum quippe factum in ea spectamus, non animum, alioquin qui aggressorem suum insequitur, fugientem putans defensionis iure sibi licere, fines non excederet. Et ex diverso, qui urgentem uim repellit, si se ulcisci crederet, non esset defensio. Dicitur Aquinus secunda secundae q. lxxxiiij. art. v. Qui occidit animo se defendendi, non peccat: qui uero hoc agit ut defendendo occidat, peccat: quod intelligit, si necessaria fuerit occisio, & quod deo peccat, non legibus.

Moderata de defensio.

Idem Baldus moderatam defensionem definit non plus facere quam oportet, quae uerissima est definitio: sed id ipsum, quantum oporteat, haud parui negotij est discernere, & ideo ad primum caput Accursianum redeo, quod exigit aequo Marte resisti, quod contra defensionis naturam esse mihi persuado, ne quisquam temere aut arroganter dictum putet prius quam iusta statera libauerit.

Facit l. si idem cum eodem. §. quod si mutue. infra de iur. om. iud.

Consideret uelim aequus lector ex ea doctrina multa incommoda futura, & in primis in arbitrio insidiosi aggressoris fieri, quibus telis, & an armatus, uel inermis quis se protegat, si non dissimili & aptiori ad nocendum telo defensor secum uis potest. Item si manu uacua me petat aliquis, ego forte fortuna telum teneo, abijciendum est telum, ut iusta sit defensio: aut Hispano pugiunculo inuadat, ego enim stringere prohibeor, si inculcata est tutela, quae longiori fit telo. Ergo si in arduo sito, aduersarius ex iniquo adoritur loco, debeo in plana descendere, ne loci iniquitas culpet defensionem: at haec duellaris sunt pugnae, non autem defensoriae. Cicero pro Milone dixit gladium ad occidendum hominem ab ipsis legibus potest rigi se defendentibus. Accursius uero ista ratione eripit.

D Caeterum modum tutelarem definit Vlpianus, quando aliter quis se tueri non potest, quod eleganter intelligit Bar. ab iniuria personali uel rerum, unde sequitur etiam inermes telo repelli iure posse. Porro cum manu uacua, uel pari telo quis se defendit, securus esse non potest, tamen si uiribus sit potior, ne offendatur. Vbi manus conferuntur, proculdubio ictus & caedes inuicem uitari non possunt. At si uerum amamus, non propulsare hoc esset, sed colluctari, rixarique, cuius exitus in manu fortunae esse solet, non in defensionis robore. Nullo enim iure cogimur nosmetipsos discriminibus obiectare, ubi salutaris uia non deest. Stultum, me deus, & periculosum foret ancipiti Marte, si possis ualidioribus armis colligere, & cetera potiri uictoria, cum eo qui propriae salutis insidiatur. Stulta sane & periculosa leges non iubent. Extat diuini Gordiani constitutio, his uerbis: Si quis percussorem ad se uenientem gladio repulerit, non teneatur homicidij. Vlp. Qui ferro se petentem occiderit, non uidetur iniuria occidisse. Obserua ibi uenientem, hic petentem non expectata percussione occisum, & in ipso repellendi actu iure occisum, neque Gordianam distinxisse, armatus uel inermis ueniat, sed gladio iure occisum, & qui gladio occidit, dicitur uim repellere.

In l. sed et si quencumque. infra ad l. Aquil.

In l. i. c. unde ui. §. l. ij. c. de siccar. glo. in c. i. xxiiij. q. i. gl. in c. significasti de homic. C. §. lxxvi. i. uolu.

Hinc omnium una, etiam ipsiusmet Accursij sententia, quod expectari non debet, uel digito te pulset aggressor, sed omni nixu, & arte uitanda iniuriosa percussio. Hinc idem Bal. alapa gladio repellere non illicitum prodidit, & si eo ictu uulneratus ceciderit, occisi non teneri. Quod Ang. in malefi. Alex. & Aretinus libris Responsorum probant, nec est qui contradicat. Ratio: quod post receptam percussione, repercutere, uindicta est, non defensio: quippe defensionis est praenire, cauere, protegere, resistere, ne uapules.

C. §. l. xxxiiij.

Praeterea si lex permittit, & natura docet uim & iniuriam procul pellere, nec praescribit quo armorum genere propellas, ergo quoquo modo poteris propulsare docet. Quod quisque, Florentinus ait, ob tutelam sui corporis fecerit, iure fecisse existimatur, nec quicquam excipit, ueluti illud quod principi placuit, & illud Iesu ad Petrum, Quodcumque ligaueris, quodcumque solueris.

Ergo

A Ergo siue inermem, siue armatum aggressorem tuum repuleris, uel fuste, uel gladio, uel lancea, uel faxis, uel arcu, uel his omnibus, nulla lege prohiberis, nec ad alium usum inuenta sunt arma, quae ab arcu uel iniuria dicta meminit Var. in lib. de lingua latina. Quid enim mali facio, si pro tutela corporis uel rerum mearum aduersus impetum facientem, hastam uerto, ne me inuadas oppono, & si contraniteris, resistendo ferio, nec ad rem sis inermis, aut minori telo pergas: quis enim te perpulit me armatum petere, & caeca nocendi rabie, in mea tela irruere? propter quod nescio defeniri magis possit, non temerario tuo obiectu corporis, an tutelari meo feriaris ictu.

Arma.

Facit glo. in fi. de si quis propter necessitatem. de furt.

Adde, qui aggreditur praemeditato, solet consilio ad omnes casus parato inuadere, & is in quem impetus fit, impossibile est, primo praesertim congressu, quin pauet, trepidet, aut ira non excandescat, & in ipso pauore, aut irae furore non inops sit consilij: & ubi consilij capiendi tempus superesse non solet, in quodcumque telum inciderit, & quaecumque expediendae salutis ratio sese obtulerit, defensionem culpae non debet. In his discriminibus silere leges inter arma, neque se expectari iubent, ad iudices pro Milone dixit Cicero. & Accursius delectum telorum habendum iubet. Non animaduertit in tumultuaria trepidatione aggressor, animo & consilio longe superior sit esse necesse, quae quidem inaequalitas uix potest ullo armorum genere aequari. Et propterea dum aequalitatem se inducere putat Accursius, maximam iniquitatem induxit: nec plura, quia sentiuntur ista. Concludo itaque quocumque armorum genere non inhibitu uim repellere, & hoc ueri iuris esse non dubito, quauis consentiant omnes, & defensionem in ipso propulsandi duntaxat actu consistere, extra uero eum actum, aut esse uim si praecedat, aut uindictam si subsequatur.

Panor. in c. ij. de ui. & hone. cleri. Bal. in c. i. de pac. iu. fir. §. si quis. Motus & rixae instantis periculi tollit spatium consultius deliberandi. l. Gracchus. de adulte.

B Nec his refragatur c. significasti. de homi. quoniam ibi Papa loquitur de facere uindicante animo occidendi, quod ad uindictam patet ex eo quod non percussus reperculsit, animum occidendi Papa colligit ex parte corporis percussa, in qua leuis etiam plaga letifera esse solet: accessit & telis qualitas. si ligonis foris, quae sua grauitate capiti est noxia: & sic non telum propter ipsum telum detestatur, sed propter caput eo petitum, adeo quod si alia pars corporis uapulasset, ligonis ratio habita non fuisset, nisi aliud studiose nobile membrum fregisset.

Panor in c. significasti. de homi. Accessus furore iracundiae non potest modum tenere. Ut in l. i. c. quando licet se sine iud. iun.

Similiter neque obstat §. eum igitur, ubi scriptum est, armatos armis posse repelli, quia non propterea sequitur, inermes armis non posse repelli, Casus ille ratione naturali scriptus, contra se a contrario sensu non admittit argumentum.

Et quia moderatae defensionis excessus quaerimus, tollendum est aequiuocum, in quo plures cespitaliter uidentur, & ideo admonendi sumus non idem esse excessum defensionis, & inculpatae defensionis. Differunt enim inter se, quod excessus inculpatae defensionis (ni fallor) non est extra defensionem, nam immoderata defensio, utique est defensio, sed excessus defensionis est extra defensionem, & transit in aliud peccati nomen, quod est uindicta. Exemplum: qui suum aggressorem fugientem insequitur, uerberatue, transiliendo tutelares limites uindicare dicitur: sed qui se defendendo cum possit non occidere, & occidit, cum possit leui plaga uim repellere, & letali caedit, is modum defensionis transgreditur, non tamen defensionem transiit, quia repellendo facit. Et ideo Vlpianus in eo, qui se tuendo oculum effodit, distinguit an ex proposito effodit, quasi dicat, cum potuisset citra oculi effusionem se tueri & effodit, modum non custodisse: secus si imprudenter effodit. Finge armatum inuadi ab inermi, & quamuis telo repelli non puto inhibitu, nihilominus si conuersa in se cuspidem substituerit, retrouere cedat, si pergis percutere, modus exciditur, satis tibi est, non audeat offendere. Aliud quippe quando repelli non potest nisi occidatur, aliud quando sine caede repelli potest: primo casu maluisse repellere quam occidere, secundo casu maluisse occidere quam repellere creditur.

Facit l. sed et si infra. ad l. Aquil.

Inculcata itaque tutela non stat in genere armorum, sed in ui propulsanda, ut ubi

C sine cædè, aut leui plaga aduersarius repellì potest, non plus fiat quàm oportet, & quamuis hoc uerbo propulsandi omnia compendiose significantur ad inculpatam tutelam pertinentia, nihilominus Bar. & Bal. confessione, nulla certa regula tradi potest. Elegãter igitur Panor. dixit: Habebit arbitrari æquus iudex, an forte in meris finibus defensionis.

Vt uim atq; iniuriam propulsemus.

Hinc stulta semper mihi uisa est illa dubitatio, utrũ culpet tutelam qui mauult resistere quàm fugere. Porro omnia iura uim uel repellendam dicunt, non fugiendam. Congruunt, non repugnant illa Vlpiani uerba, cum aliter se tueri non potest: tueri uerbum nõ fugiendi, sed defendendi significationem habet. Et propulsandi uerbo usus est nõ protegendi, quasi aliquid plus facere liceat quàm se tegere. Plus quidem est propulsare quàm tegere, & longe plus uel, quod est uolenter aut fortiter repellere: alterum uiri fortis, alterum pauide mulierculæ esse nemo dubitat: qui protegit nihil in aduersarium facit, sed qui propulsat, nimirum si indulgetur id in odium nefarie insidantis contra ius humanæ cognitionis.

Excipiendi fortè in sortem domini uocati, quando sine periculo fugiendi cedit occasio, quicquid dixerit Panormita, in c. secundo de uita & honestate clericorum, fugere profecto debent, ne sanguine aut pulsatione cuiusquam sacra manus polluantur, qui bonum pro malo reddere iubentur. Attamen pro periculo duntaxat mortis uitando occidere non inhibetur clericis, uideo in clementi. de homi. Non autè pro leui offensione, neq; rebus tuendis, quibus gloriosum esse uindictam non querere Imp. Val. & Theod. rescripserunt in l. si quis in hoc genus, de episc. & cleri.

D Quæ causa est pro rebus tuendis æque ut corpore liceat cedere occidere: an quod sine ijs adiuuentis uita consistere non ualeat: natura docet querere & quaerere ad uitã necessaria. Hinc prodigis interdici bonis inductum est: prodigere utiq; est cõsumere. Aristoteles Ethic. iij. Est em̄ prodigus, qui seipsum perdit. Videtur em̄ seipsum perdere qui patrimoniũ dissipat, ex quo uitã ducere debet. Quid si non inculpate quispiam se defendit? omnes conueniunt de eo tantum quod plus fecerit citra mortem arbitrio iudicatis multandũ, & si dolo plus fecit. Bal. quia difficilimũ est iracundiæ calorẽ tum cõprimere, Papinianus in l. si adulteriũ, de adul. refert Diuum Anto. Pium rescripsisse in hæc uerba, eum qui uxorẽ in adulterio deprehensam se occidisse non negat, ultimum supplicium remitti potest, difficilimum enim est iustum dolorem temperare, & magis quia plus fecerit quàm quia se uindicare non debuerit, puniendus est.

Sed si non modũ sed ipsam defensionẽ transgredit, eadẽ æquitas suadet habendam irritati animi rationẽ. Hinc recepta est Iacobi de Arena sententia: Si quis aggressorẽ suum fugientẽ occidit, citra mortem puniendũ, nam ignoscendũ est ei si uoluit se ulcisci, puocatus. l. qui cũ maior. §. si libertus. ff. de bo. lib. At Decius hic contendit omnino homicidij teneri eum qui excedendo occidit, argu. dominorũ & præceptorũ, qui si occidunt modũ emendationis transilientes, occisi obligantur. Nõ ergo diuersum putat de eo qui defensionẽ excedit & occidit. Mihi uero longe diuersa modèrationis & excessus ratio exigẽda uidetur ab ijs, qui iniuria la cessiti, iracundiæ seruore aut iusto dolore perturbati cædunt, & ijs qui nulla iniuria prouocati sæuiunt. Defensio sine perturbatione fieri nõ potest, & ideo difficilimum est modum tenere: emendatio tranquillũ & innocẽtis animi esse debet. Architas Tarentinus Pythagoreus in seruũ male meritum dixit, nisi iratus essem uapulares. Defendentibus extricandæ suæ salutis causa sauire est permissum, quod nullo casu corripientibus indulgetur, & igitur defendẽtibus nullum telorũ genus denegatum est, corrigẽtibus autè præter lora & flagella nullũ concessum. Diuus Constant.

In c. olim de re situ. spol.

In l. scientiam §. qui cum aliter. ad l. aquil.

Glo. in c. de his l. dist. & in c. si aut dignũ. de homici.

xxij. q. i. c. i. §. ij. c. suscipimus. & c. signifiasti. de homi. Prodigus.

Arg. l. quod calore. de reg. iu. §. l. i. §. queri ad. f. c. turp. & l. gracchus. C. de adul. l. i. C. de emen. seruo. & l. sed quæcumq;. §. si magister. infra ad l. aquil.

A Constant. eum qui non loris neq; flagellis aut leuius cædit, sauire rescripsit. Nam hoc iure euenit, ut quod quis ob tutelam sui corporis fecerit, iure fecisse existimetur.

Quare non omnium animantium iure hoc idem, quia iuste facere nequicquã cetera animantia nouerunt: Alioquin iustitia esset in brutis, ut enim rationis sic etiam iuris sunt expertia, & propterea quamuis à cõmuni natura sit defensio, nõ men ab eadem est iusta defensio.

Occidens occidatur, etiam si se defendendo occiderit. Quæstionis est, utrum usu receptibilis sit hæc lex. Florianus in l. itaq; ad l. Aquil. ex quo iurisdictionum esse traditur, putat lege tolli posse defensionem.

Ex diuerso urget quod defensio unum præcipuũ corũ est, quæ natura omnia animalia docuit ad conseruationẽ cuiusq;, qd tantæ uis est, ut ne Imperatoris potestate tolli posse Papa declarauerit in cle. pastoralis. de re iu. & per hoc neq; cuiusquã lege, neq; ita iurisdictionum est defensio, quin sit & animantium, ueluti nõ ita quis est homo, quin sit animal. Lex autem Ciuili illa iurisdictionum obruere potest quæ tota sua sunt hominum, non quæ cum mutis sunt cõmunia. Actus quidem defensionis à communi natura est, iustitiæ adiectio humano inuentu. Et ideo lege induci potest, ut quoquo modo quis defendendo occidat (ut in fure nocturno, l. xij. tab. constitutum fuit) non culpetur occisio, sed quod quis periculum capitis à se non impune auertat, nullo iure fieri potest.

Plus dixit Ioannes Lignanum in eo libro, quem de bello inscripsit, eum qui se occidi patitur, cum possit defendendo facere ne occidatur, reum gehennæ esse non minus q; si semet occideret, nõ illepidam ratione charitatis, qua quis obstringitur erga seipsum, hoc scripto, Diliges proximum tuum sicut teipsum, includi inquit, dilectionem sui ipsius, & ideo qui se non defendit cum possit, contra præceptum charitatis peccat. Adiecitq; si sacerdos inter sacra missarũ aggressorem suũ defendendo occidit, mox redire ad altare, intermissaq; sacrificia nõ prohibetur, quod Panor. probat, in c. clericis. de ui. & hone. cleri.

Ex his fortissimum concipio argumẽtum ad illam quæstionem, utrum homo homini defensionem debeat: si nobis defensionem debemus, consequens sit, & proximo debeamus, quem non secus quàm nosmetipsos diligere cogimur.

Suadetq; ratio cognitionis humanæ, quã uiolare nefas esse hic monemur, nõ straq; interest beneficijs alios obstringere, ad opem nobis ferendã. Solon dictitare solebat, beatam illam Rempub. in qua quisq; iniuriam alterius suam existimaret. Hinc sapienter maiores nostri publicas accusationes & populares actiones quasdam esse uoluerunt. Apud Aegyptios proditur reos mortis fieri, qui iniuriã patienti opem non ferunt: quod si non possunt, accusare iniurios debent: quod si non fecerint, plagis & triduana inedia castigantur, quod institutum, arctissimum societatis humanæ uinculum esse credebant.

Quidã dicunt licere, nõ autè oportere eo argumẽto qd licet pacisci, recteq; accipitur pro defensionẽ alterius. l. metum quod met. cau. quod si homo homini defensionem deberet, nõ recte acciperetur. Alij putant deberi si auxilium petitur.

At Inno. quartus in cõcilio Lugdunen. cõcionatus iniuriæ participẽ eum esse, qui proximo nõ præbet auxiliũ. Diuinus Ambrosius in officijs. Qui nõ repellit à socio iniuriã si potest, tam est in uitio, q; ille qui facit. Anastasius: Nõ caret scrupulo societatis occulta, qui manifesto facinore desinit obuiare. Aurel. Augustinus in psal. Qui desinit obuiare cũ potest, consentit. Cic. i. offi. Aut ira aut aliqua perturbatione incitatus is quasi manus uolẽter uidetur afferre socio, qui aut non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in uitio q; si parẽtes, aut amicos, aut patriam deserat.

l. seruus. infra de seruis ex port. Glo. in c. nõ in ferenda. xxij. q. iij. Bar. in l. metu. §. sed licet. quod met. causa. glo. l. culpa de regu. iu. & hic bal. Dy. in regula nõ est sine culpa. de regu. iu. Romanus cons. si. cxvij. ad l. metum. ibi respondit Albericus & hic Decius.

C Multi facio in hac quaestione hos sanctos patres, uitio imputare & criminis conscios coniectura habere eos, qui opem non ferunt, quod si nullo iure auxiliū deberetur, iniuria quidem peccato desertæ defensionis illigarent.

Archidiaconus in c. negligere. ij. q. vij. putat generale esse præceptum propul sandæ iniuriæ, & ad omnes spectare. Felinus in c. quāto. d. sen. excom. iure pon- tificio. tantum ligari scribit, quia deum offendit. Abbas Siculus putat, si clericus pro necessaria defensione proximi clerici uel non clerici inuasorem occidat, uix irregularitatis notam subire. Diuinus Ambr. cōmendat Mosen, quod Aegyptiū Hebræo uim facientem occidit. Vnde arguere licet sanctos quoq; uiros defen- sionis onere nō esse immunes, cum omnis defensio charitatis filo pendeat. Porro non diligit proximum sicut seipsum, qui proximum non defendit sicut seipsum. xxij. q. ij. cap. non inferenda.

Inclino tandem non obligari uinculo efficaci ut conueniri possit, quia non le- gitur actio aut pœna in his speciebus constituta, sed humanitatis, & si ciuis est, etiam ciuilibus societatis nexu teneri non dubito, quatenus homo homini, & ciuis ciui officium debet.

Enumerant tamen quasdam personas, quibus defensorem deberi fatentur. & obserua ex supradictis turpiter accipi ab ijs quibus defensio debetur, & acceptū redhibendum, & ei qui defensionem debet. Debetur autem, ni fallor, omnibus li- cere aggressorem impune etiam occidere, quando aliter qui cæditur liberari non potest. Plus ex uerbis Martiani didici, periclitantibus etiā inuitis atq; prohiben- tibus opem ferendā ratione humanitatis suaderi, in l. nō tantum. de apella. unde palām sit non expectandam opis petitionem.

Pulchra non negligenda superest quaestio, de qua uarie tractatum legimus.

D Bannitus qui impune offendi lege potest, si se defendendo percussorem occi- dat, nunquid de homicidio sit securus? Quod in id recidit, utrum qui lege permit- tente offenditur, ius habeat defensionis? Baldus in utranq; partē hic disputat, & non decidit. Bar. eorum accedit sententiæ, qui bannito non impune cedere arbi- trantur, quia popularis est, & quisq; legis minister, cui repugnare non licet.

Accursus in l. accusationis. C. quod met. cau. quem uel nemo uel perpauci non sequuntur, tradit solum iudicem esse legis ministrum, nō priuatos homines. Accedit l. non est singularis. de reg. iur. Præterea iudici lex præcipit, priuato per- mittit: iudex inuitus facit, priuatus uolens. non ergo parua est differentia.

Subiungit idem Bart. iniustam esse defensionem, quando iusta est offensio: si lege offenditur bannitus, ergo inuitis legibus se defendere nō potest: citatq; mul- tas leges, quæ, ut mea fert opinio, aliō spectant. Nam seruus ad ecclesiam temere confugiens, nullam uim patitur, sed magis est ut faciat aduersus dominum ius suum, siue imperium agentem. Nec eadem causa est serui aduersus dominum, & liberi hominis aduersus alios suæ conditionis. Si miles coërcenti Tribuno non cedit. & ob id asperius castigatur, non magis uim patitur quàm qui causa cog- nita à iudice iugulatur. Cætera exempla de latronibus, agrorū populatoribus, no- cturnis furibus atq; adulteris, ad rem nō pertinent, ea in primis ratione, quod nō licet occidere eos, qui latrocinati, aut furati, adulterati ue sunt, sicut nec eos qui uim fecerunt: sed eos tantū qui in latrocinio, populatione, furto, adulterio ue de- prehendantur, ueluti illi qui uim faciunt. Non dissident hæc exempla, sed magis est ut congruant, quia tales uidentur se & sua defendendo occidere, non autē of- fendere. Natura non patitur defensio sit offensio, sed offensionis depulsio.

Lex permittit occidere, non inde sequitur prohibitam defensionem, non hæc permissi natura est. Siquidem permittitur mihi agere, nō per hoc aduersario de- negatur excipere: ideo si permittit occidere, non illi aduersus me surreptā defen- sionem

A sionem uideo, nam ex permissio sit licitum, nō autem honestum. Paulus in regu- iur. Non omne quod licet, honestum est, & ideo post licitum non necessariō se- quitur illicitum, nisi idem sit etiam non honestum.

Satis superq; satis mecum prærogatiuæ habes quod in me sæuire impune pri- uatus uir possis, nō propterea sequitur, quod tibi iugulandā porrigere ceruicem debeam, quod horret natura: Tota enim ex sensuum aculeis deriuat ista defensio, quam qui tollere uolet, sensus ipsos tollat necesse est.

Bartolus deniq; in disputatione illa, statuto Lucan, ciuitatis, & hic & ubiq; nō fortiori nititur argumento, q̄ quod bannitos hostes esse contendit: quæ quidem argumentatio in contrarium, ni fallor, plus ualet, quā quod omni iure permissa, non denegata hostibus defensio non ignoratur, tum quod si hostis est, necessariō sequitur non ligari legibus suorum hostium.

Præterea ridiculosum est hostes eos definire, qui, ut euitarent uincula, neces- sariō ignominias, quæ à legibus constitutæ sunt, peregrinant, nec quicquam in patriā moluntur. Mouetur Bar. uerbis Vlp. in l. amissione. de cap. minu. dicentis: Qui deficiunt, capite minuuntur. deficere autem dicuntur, qui ab ijs, quorum sub im- perio sunt, desistunt, & hostium numero se conferunt.

Et obserua, quod etiam Bar. notat ad hoc, ut numero hostium habeantur, nō satis esse deficere, nisi & ad hostes desciscatur. Banniti, inquit, deficiūt ab imperio ciuitatis suæ, & ad alios bannitos migrant, qui sunt hostes, ergo & ipsi banniti sunt hostes. Hæc consequentia nō quadrat, nisi prius doceatur bannitos, quibus se iungunt, hostes esse, & à uero abest bannitos deficere, qui pœnas quas pro fla- gitijs merentur fuga subterfugiunt. Adest in hoc mihi Marti, in l. mili. agr. de re mil. Eius, inquit, fugā, qui cum sub custodia uel carcere est discesserit, in numero desertorum non computandum Menander dixit, quia custodia refuga, non mi- litia desertor est: sic bannitus pœnarū refuga, nō defector aut hostis imperij est.

Aliud quod exigitur est, ad hostes se conferant, id est, ad alios bannitos, inquit Bart. Sed quid si nulli alij supersint banniti, ad quos desciscat, aut unus bannitus in diuersas migret regiones, ibiq; uel negocietur, neq; alijs se bannitis immisceat, proculdubio ista ratione non hostis erit: si non hostis, ergo nec impune offendi poterit, quamuis sit bannitus.

Postremo non didici ab ijs hostes occidi posse, qui militia sacramento non te- nentur, cuius rei prudentiores nos facit Cic. i. Offi. his uerbis: Pompilius Impe- rator tenebat prouinciam, in cuius exercitu Catonis filius tyro militabat: quū aut Pompilio uideretur unam dimittere legionem, Catonis quoq; filium, qui in ea le- gione militabat dimisit, sed cum amore pugnandi in exercitu remāisset, Cato ad Pompilium scripsit, ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obli- garet militia sacramento, quia priore amisso, iure pugnare cum hostibus non po- terat. M. quidem Catonis senis est epistola ad filium, in qua scripsit se audiuisse eum missum factū esse à Consule, quum in Macedonia bello Persico miles esset. Admonet igitur ut caueat, ne prælium ineat, negat enim ius esse ei, qui miles non sit, pugnare cum hoste. Nota igitur contra illos, qui nullo stipendio, nulloq; iure iurando exercitus hodie sequuntur prædæ tantum causa, quod non habent ius la- cessendi hostes, neq; agendi prædas, & ideo prædonum uel grassatorum pœnis teneri. Veteres uiolari putabant ius cognationis humanæ ab ijs qui nulla legum necessitate sponte se lupos hominibus præbent.

Væ tibi idcirco Bartole, qui in animos hominū infixisti, ius esse bannitos etiā rupto pacis scedere occidendi. Nō me præterit Martianum respondisse, transfu- gas, ubicunq; inuenti fuerint, quasi hostes interficere licere: quod dupliciter intel- ligi debet, uel inuēti à magistratibus, nec remittēdi sunt ad maiores magistratus,

Bal. in l. i. C. d. ser. fug. alium quis iuuare te- netur, quando cōmode potest. In c. ij. de uita & honc. etc.

Idē Abb. eod. c. ij. Bar. & re- centiores hic.

l. nullus. §. i. C. de iudicis.

l. si seruus. C. de his qui ad ec- cles. conf.

l. milites agrorū. §. irreuerēs. de re mil.

In l. iij. §. si. ad l. Cor. de sic.

C & congruit titulo qui loquitur de iudicio puniendis: uel à militibus, qui uinculo sacramenti tenentur occidere. Nō e nim Martia. dicit à priuatis interficiendos. nec quicq̃ cogit eam interpretationē facere, quæ repug. l. non est singulis in. d. reg. iur. & l. nullus. C. de Iudæis.

Lignanum in eod. li. de bel. ex uerbis cōstitutiōis iudicādū putat; si lex ait, bannitus possit impune offendi, bannito defensionē nō relinquī, quia lex nō uult esse delictum: sin autem ait offendens nō puniatur, nō prohibita existimat defensionē. Castren. hic sequitur. At cons. excij. cōtrarium sentire uidetur, mihi autem nō liquet quid inter hos sermones sit, impune possit offendi, & offendens nō puniatur; Magis forte quærendum esset inter legem præcipientē & legem permittentem, sed utrū propterea surrepta sit defensionis facultas, nō satis cōstat, cum cōtra iuris regulas sit in absentes etiā requisitos cōtumaces capitalem sententiā dicere, & Romanis legibus semper inuisum; & propterea durū uidetur per subauditos intellectus sanguinolētas leges reddere, quæ interpretationē molliendæ sunt, & eos intellectus admittere, qui naturæ cōmuni repugnāt. Defensionis aduersus periculū cap. tollēdæ, uariāuit Bar. utrū expresse prohiberi defensio ualeat, aliud hic & aliud in l. cum mulier sol. mat. & l. facultas de iur. fis. lib. x. Vtrum autem iniusta sit lex, & per hoc non lex, quæ priuato cuiq̃ permittit aut iubet occidere?

Legulci ferē omnes legem ualidā defendunt, Canonistæ uero contradicunt multi, quia peccandi fouet licentiā, addo quod ciuiles inimicitias ferit, quo nihil perniciosius, fieri enim nō potest quin cognati & agnati atq̃ amici occisorum iniuissimo ferāt animo; domesticum utinā non haberemus exemplū Romæ, quæ post proscriptiones nunq̃ quieuit, ego autem in usu fuisse tales leges didici maxime aduersus proscriptos, & lege Tribunitia sic cauebatur.

D Si quis eum (qui eo plebiscito sacer sit) occiderit, paricida nō sit, sacrum iudicio damnatum ueteres dicere solebāt. Meminit Lilius legem latā, ne quis illum magistratum sine prouocatione crearet, qui creasset eum ius fasq̃ esset occidi. L. Sylla occisoribus proscriptorum præmia cōstituit. Ad bannitos redeo, dispiciendum quorū in numero sint, & an in usu antiquitus fuerint, alioue nomie appellati, & recte Bar. docet neq̃ deportatis neq̃ relegatis æquiparandos. Adde qd̃ de deportationis & relegatiōis pœnarū sunt nomina, bannitio uero secus. Banniti uox noua & Gotica est, & nō differre à p̃scriptis mihi persuadeo, & uere proscriptos nominari posse, si conferantur rationes uocabulorum. Prosripti ab eo quod damnati; eorum nomina scribebantur in tabulis quæ publice pro rostris appendebantur, ab eo quod proscribere est publice scribere. Vlpia. in l. sed & si pupillus, de uerb. sign. Proscribere sic accipimus palām claris literis ut de plano recte legi possit, ante tabernā uel ante eum locum in quo negociatio exercetur, nō in loco remoto, sed euidenti, & loquitur Vlp. de proscribendis mercibus. Proscribi etiā dicuntur domus, quādo publice uenales uel locandæ signantur, aut fisco inferuntur. Banniti à banno dicuntur, quod palām uoce preconis uel magistratus damnati pronunciantur Romæ foro publico existente, in nōnullis locis in tabellis pro ualuis curiæ maiusculis literis scribuntur omnibus legendi.

Et utrūq̃ nomen significatum damnati habet: nihil aliud est bannitus & prosriptus, q̃ publice damnatus ob aliquod delictum, ut illud Q. Aurelij: Albatina uilla mea me proscripsit, id est, damnauit. Verum inter damnatos & prosriptos illud interest. qd̃ omnes prosripti sunt damnati, nō autē econtra quia multi damnantur sine stilo p̃scriptionis, ut de bonis proscrip. seu damnatorum. C. uterq̃ absens damnatur, & utrūq̃ nomē est generale ad diuersa delicta & diuersas pœnas, & p̃scripti deniq̃ sicut banniti antiquitus impune occidebantur. Exēpla multa sunt, sed nouissimum Cic. qui ex illa nefaria triumuirali p̃scriptiōe occisus fertur.

Banniti

A banniti ergo prosripti & sunt & dici debent, & nihil commune habent cum deportatis neq̃ relegatis, cum exilibus uero exilium duntaxat uolūtarium; nam exulis & exilij generale est nomen, deportationis exiliū. Similiter & relegationis exilium dicimus, quibus casibus est pœna: similiter & quando nullo alio interdico loco, præterq̃ quod patria exire iussi sunt, exemplum in l. i. de effraкторibus. Est & quarta exilij species, & proprie quando non damnati ad exilium, sed ad uitandas pœnas spōte migrāt, sicut banniti & prosripti, et de hoc loquitur Cic. pro A. Cecin. Exiliū non est, inquit, supplicij, sed supplicij profugiū ac portus. Occidi ad meam defensionem.

Quæstionis est, utrū scindi hæc responsio ualeat, si scinditur, nisi probet defensionē, reus supplicio afficiet; si nō scinditur, securus erit; & licet ius cōtrouersum sit, uicit tamen Bar. opinio, ut reiiciatur defensionis adiectio, ea ratione, quod male de eo ius sentit, nisi probetur defendendo occidisse, facti atrocitas arguit doli, damnatur ergo ex coniecturato dolo, & ideo prædura decisio, quia possibile est defendendo occidisse.

Bal. in l. ij. de legibus nō præsumendam malitiā tradit ubi potest esse iustitiam l. merito. pro soc. Collige ex hac Bar. sententia, responsionē qualificatam posse scindi quando cōtra eam stat iuris præsumptio. Nō ab re fuerit scrutari nūquid perpetuò uerū sit hoc, siue essentialis sit qualitas, siue accidentalis; mulū em̃ interest qualitatis accessu uel recessu remaneat eadem species, uel nō remaneat.

Porrò in proposita q. de delicto facto per homicidiū quæritur; nam ubi nō est delictū nihil ad latrunculos, sed qui dicit homicidiū, nōne dicit delictū; subsisto: multi enim sunt casus, quibus iure occiditur, ut fur nocturnus, agrorum populator, in adulterio deprehensus, latro, aggressor, & similes. Ista itaq̃ qualitas, occidi ad meam defensionē, facit non esse delictū. Pro Bar. est quod regulariter homicidiū sonat delictum, licet certi sint casus qui excipiuntur, & regulæ repugnāt, ideo nullo præsumptionis adminiculo fulciunt, nisi probetur. Ex diuerso Vlp. iniuria occisum merito in lege adijcitur, nō enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factū. Considera quod alia q. est, utrū reo dicenti, ad meā defensionē occidi, credatur; alia utrum scindi queat talis responsio de qua sola nunc agitur.

Esto qui homicidiū dicit loquatur delictū, fateri etiam conuenit, qui dicit ad suam defensionem occidisse, dicat nō delictum; si detractioe huius qualitatis sit delictum, eiusdem pariter adiectione fit non delictum. Manifestum est utiq̃ substantialis & inseparabilis hæc adiectio sit, quod eadem submota non remanet eadem res; non idem profecto homicidiū est quod pro defensione fit, & illud qd̃ non defendendo factū est. Et igitur periniquum uidetur in potestate interrogantis sit immutare quicq̃ de responsione rei propter quod noua inducatur species, id est, de non delicto delictum. Si scindis proculdubio corrupis atq̃ inuertis in id quod nō respondi, et magis est tua sit responsio quàm mea. Si dixerit aliquis nō potest pro tutela occidi sine occisione, qui ergo pro tutela occidisse dicit, occidisse fateatur est necesse, & sic nō de occiso, sed de qualitate remanet quæstio.

Captiosa isthæc argumentatio est, qualitas enim ex qua res accipit formā, inseparabilis est à se formata specie, qua detracta alia res est, & ideo occisionē quæ ex uerbis meis extorquere tentas, non est illa de qua ego loquor; porrò interrogatio & responsio nisi unum & idem respiciant, nihil efficit.

Esto de qualitate sola remaneat quæstio, nimirū quod ab ea pendet delictū & non delictum, de hac itaq̃ qualitate quæstio non de alio est quàm de delicto de quo agitur, & idcirco qui de homicidio accusatur, de solo delicto quod per homicidium factum est accusatur, alioquin si non esset delictum nequiret puniri, neque accusari. Finge accusator dicat, defero Titium qui inter se defendendum

l. i. inf. de req. rei. & l. absentem de pœnis. l. si quis ingenuam de cap. et post. facit l. si. C. co. l. cum oportet. §. si. de bo. q. lib. l. illud. C. de coll. l. inter fratros. C. famul. hercis.

l. Relegati. & l. capitalium. §. in exilibus. infra de pœnis. & l. exiliū de interd. & releg.

l. aurelius. §. idem quæsit de lib. lega. l. si seruus ad l. Aquil.

l. in delictis. §. si detracta de noxa.

C Sempronius aggressorem suum occidit, proculdubio non audiretur imo irrideretur quod ineptissime accusaret de homicidio quod delictum non est. Cum itaque causa & fundamentum accusationis & damnationis solum sit delictum, & responsio dicit non delictum, quomodo ex ea quisquam ualet quid decerpere quod sit delictum non uideo: totam ergo responsionem aut recipiat est necesse aut rejiciat. Neque tamen per eam reus leuatur onere probandi defensionem, neque per eam sit damnari de occisi delicto possit nisi aliunde probetur. Bal. Aequitas iudicis potest admittere responsionem qualificatam causa uitandi calumniam, & ideo reus potest respondere, feci ad meam defensionem, ne interrogatio quae implicat dolum sit captiosa simpliciter respondenti, quia negatur malefictum isto modo, licet confiteatur uictus. Aretinus: Qui dicit fecisse ad suam defensionem, uirtualiter negat, accusationem, quia qui negat qualitatem per quam factum efficitur criminofum, negat illud quod formaliter deducitur in accusatione, & ideo totam dicitur accusationem negare. cccccxxi. Fil. Inclinat in hanc partem si uno uerborum contextu fiat responsio, ut feci ad meam defensionem. Refert Io. montis grana Odofredum & Martinum a fano similiter respondisse, subiungitque se timere auctoritatem Bar. usu, in com receptam.

Sed nunquid poterit in hoc torqueri, an uerum sit, fecisse se defendendo, & exorta in quaestionibus sufficiat simplex confessio.

Cogita an circumspectus iudex percunctari debeat, num probatu difficilis tum sit defensio, quod ex facti qualitate aestimabit: si probatu facilis est, & non probatur, male olet: sin secus, puta in deserto & remoto hominum frequentia loco occisus proditur, ubi testium penuria esse solet, aut non interdiu, & an in agro siue loco occisi, uel occisoris, ut coniectura sit quis alterum aggressus fuerit, maxime si nihil negotij occiso in ijs locis fuerit. Item si odia inter sese exercuerint, quis ante passus iniuriam: iunge his hominum mores & aestimationem, uter frugi, mansuetior, placabilior, aut iracundior, ad rixas pronior, uindictae appetentior, manu promptior, & sic non facile defensionis qualitas rejicienda est, si uerisimilitudo inclinet animum ad molliendam poenam. Iuuatur haec consideratio auctoritate Accursij Butricarj, Bal. & Sali, in l. ii. infra de here. insti. Adde quod in dubio facienda est interpretatio, ut homicidium factum sit ad defensionem,

Panor. in c. auditis de praeser. benignius putat capitali supplicio non esse subdendum reum nisi aliunde liqueat occidisse, licet male praesumat ius contra occisorem, tamen quia non simplex est confessio, coniecturata ex ea de dolo ducitur probatio, & non clara & indubia, qualem in capitalibus leges desiderant, potuit enim defendendo occidisse, & ideo Innocentij innititur auctoritati, qui admonet ius dicentes, ut raro, aut nunquam ex ualidis quantumuis praesumptionibus capitaliter damnent. Impugnat Decius in c. cum uenerabilis. xij. col. de except. & dicit Bald. Mitius agitur in poenis corporalibus ex dolo praesumpto, in c. i. quomodo se. amit.

Similiter Ang. Consi. xxxij. eum qui confessus est casu se occidisse, nec aliter constat de occisione, respondit arbitrato ius dicentis citra mortem puniendum.

V L P I A N V S.

Iustitia est constans, & perpetua uoluntas, ius suum cuique tribuens.

Vlpianus iustitiam ideo uoluntatem esse dicit, quoniam non alia uirtus est praeter iustitiam, quae mera uoluntate feratur, ut quinto Ethic. docet Aristoteles. Cetera uero uirtutes aliunde mouentur, accedente tamen uoluntate, id est, appetitu sensitiuo. S. Tho. ij. q. lviij. arti. si. Fortis alio principio impellitur ad labores & discrimina

A discrimina subeunda; temperatus ad uoluptates rejiciendas; solus iustus nullo alio affectu, nisi uoluntate res iustas peragit; & quia non omnis uoluntas iustitia est, ideo iungit, constans & perpetua.

Constans, quod neque pecunia corrumpi, neque potentia frangi, neque gratia inflecti ualeat, & idcirco a Chrysippo depingitur uirgo incorrupta.

Perpetua, non sempiterna, ut illiterati dicunt, sed continuata uoluntas; nam qui non semper, sed interdum iuste agit, omnium confessione iustus non est. Perpetuare est sine intermissione continuare; sic perpetua dicitur oratio. Vlpianus in l. si cum dote so. mat. Si quidem interuallum furor habeat, uel perpetuus quidam morbus. Perpetuum dixit ad differentiam interuallati. Paulus in l. uia de fer. rust. praed. Si lacus perpetuus in suo fundo est, nauigandi quoque seruitus, ut perueniatur ad fundum uicinum, imponi potest. Fugit Accursium haec significatio. Nam si perpetuus, id est, continuatus non esset, non posset nauigio perueniri ad fundum, cuius gratia seruitus imponitur.

Ex quibus conficitur, ceu inconstans uoluntas non est iustitia, similiter non continuata non est iustitia aequae inconstans & uariis, iniustus est iudex, & iure recusari potest, quia aut corruptibilis, aut timidus, aut flexibilis, aut imprudens, aut duplex animo sit necesse est, aut Iaco. Apostolus scribit Epistola prima, Bal. in c. ad nostram. de proba. Iniquus & indiscretus iudex iure recusatur, imprudens enim est subijcere se iudicio iniqui, aut indiscreti hominis. Philippus in c. postremo de appella. Quare inuidus, amans, imprudens uel iudex recusari queat, latius per digressionem explicauit in commentarijs ad c. i. de proba.

Ius suum cuique tribuens.

B Hoc proprium est iustitiae, per quod ab alijs uirtutibus discernitur. Cicero. v. de finibus: Proprium est cuiusque uirtutis munus: fortitudo in laboribus, periculisque cernitur; temperantia in praetermittendis uoluptatibus; prudentia in delectu bonorum & malorum; iustitia in suo cuique tribuendo. Haec Cicero. Proinde sapientes ex omnibus uirtutibus hanc unam alienum bonum esse dicunt; alienis quidem commodis sola prospicit, & nihil emolumenti se excernentibus affert praeter iustae actionis commendationem, quae omni auro carior esse debet.

Et latere non debet duplicem esse iustitiam eodem Aristotele autore; unam quae species & pars totius est, ex qua simpliciter uir iustus nominatur, cuius officium est non plus capere quam par est. iij. Ethic. idem: Qui non capiunt, de liberalitate nunquam laudantur, sed de iustitia. Lact. vi. diui. insti. Plus accipere iniustum est.

Altera iustitia est in qua uniuersae uirtutis est usus. Iubemur enim secundum omnes uirtutes uiuere, quinimo reliquas huic uirtutes ancillari tradit idem ij. Pol. Consonat Imp. Iustiniani definitio in auten. ut omnes obed. iudi. Iustitia est, inquit, uirtus praecipua aliarum domina, per quam reguntur omnia, & sine qua factum est nihil.

Hinc est quod nemo iustus esse potest nisi idem fortis, temperatus, & prudens existat, ceterarumque uirtutum omnium usum habeat. Iaco. Apostolus Epistola prima: Qui totam legem seruauerit, & in uno peccauerit, omnium factus est reus, & propterea tota ac perfecta uirtus censetur. Lactan. v. diui. insti. Iustitia aut ipsa est summa uirtus, aut fons est ipsa uirtutum.

Iustitiae duae sunt partes, una in distributione bonorum, pecuniarum, & aliarum rerum, quae inter ipsos ciues sunt communes, quam distributionem idem Aristoteles monet faciendam ex dignitate personarum, & per eum modum quo fit contributio; unde deducitur iniuste distribui indignis, & ijs qui minus uel opis uel operae uel diligentiae & fidei in commune contulerunt; quarum rerum plenos tracta

In l. i. C. de edil. acti.
In l. i. de uulg. idem sentit Bal. in l. ea quae. C. de condi. inde.
Cinus in l. i. de confes. idem in l. siquid. C. de excep. Bal. & Sal. in l. exceptionem. C. de probat. & l. ij. C. de dona. ante nup. Io. And. in c. ij. de confes. fac. de Arc. in l. cum queritur, infra de admittu. Spec. de positio. §. x. uer. sed pone. Bal. in l. nec co dicillos de Co. di. & Sal. in l. eum qui. C. de adulte.
Angel. Aret. inst. de iure natu. ius autem gentiu. Bal. consil. xcv. lib. i. Corne. consil. clxij. li. i. & Decius hic l. sciunt cum sti. C. de prob. l. qui sententia. C. de poen. & ij. q. viij. c. sciunt Iason hic et Fe. li. i. c. significasti. et cccccxxi. fil. in repe l. i. de uulg. com. mend. sed & in l. non utiq; de excep.

Ctus habemus de muneribus & hono. de uaca. munerum & alijs multis locis. Altera pars iustitiæ in commercijs & iudicijs uersatur. De qua quidem uniuersali iustitia, compendiosis præceptis docens Vlpianus ait:

Iuris præcepta sunt hæc, honeste uiuere, alterum non lædere, ius suum unicuique tribuere.

Treis affectus mortalibus ad bonos usus, ut Peripatecis (aduersus quos licet Stoici) placet, à natura tributos coercere præcipimur, quorum concitatione, nisi ratione moderentur, in omne facinus præcipites agimur, libido .s. ira, cupiditas. Et hæc sunt tres illæ furia, quibus mentes hominum agitari, perlepide poetas fingere Lactantius meminit. Aptissime Valerius lib. iij. libidinis & auaritiæ furoribus similes impetus, ac generis humani certissimas pestes appellat.

His ergo uitijs contraria sunt, quæ hic custodiri præcipiuntur, quibus uniuersa continentur uirtus, & uitium profus exploditur. Idem Lactantius lib. vi. Virtus est iram cohibere, cupiditatem compefcere, libidinem refrenare, id est enim uitium fugere: nam ferè omnia quæ fiunt iniuste atque improbe, ab his oriuntur affectibus. Hæc Lact. Caltratur ergo libido si honeste uiuitur; ira coercetur, si nemo læditur; cupiditas reprimitur, si cuique suum sinitur.

Iuris prudentia est diuinarum humanarumque rerum notitia, iusti atque iniusti scientia.

D Post morales, ad intellectualem uirtutem, quæ prudentia est, accedit Vlpianus, ea est enim quæ bonorum malorumque delectum facere nos docet, de que diuinitus humanis que rebus, respondere & iudicare. Ideo ait, iuris prudentia est di. hu. q. r. n. Qua definitione taxatur nostra (pro pudor) leguleiorum impudentia, nescio ne rectius dicam arrogantia, quod hac iuris prudentis appellatione, & titulo superbiere non erubescimus, qui præter legum lectionem, omnium aliarum rerum cognitionem despiciamus, atque solis Bar. & Bal. scriptis contenti, uerba & sensus Digestorum parui facere incepimus.

DE IVRE CIVILI

V L P I A N V S.

Ius ciuile est, quod neque in totum à naturali iure uel gentium recedit, neque per omnia ei seruit.

Frater Gerardus Heremita Augustinianus, uir in philosophia & theologia clarus, & in iure haud modice peritus, de præscriptione subtiliter disputando hæc legem sic interpretatus est: Ius legitimum, inquit, ideo non in totum à iure naturali recedit, quia ab eo rectitudinem mutuatur, ideo non per omnia ei seruit, quia addendo uel detrahendo in suos usus commutat.

Obserua tripertitam iuris diuisionem, quæ à triplici de homine consideratione descendit. Consideratur primo ut animal, unde ius manat naturale: item ut homo, unde ius gentium siue humanum; tertio ut ciuis, à quo ius ci. Hinc tripertita capitum diminutio, & frequentissima de actibus hominum discussio, atque infinitarum questionum enodatio, alia quædam pulchra ad hanc considerationem pertinentia, in commentarijs ad legem Gallus differuimus.

Itaque

A Itaque cum aliquid additur uel detrahitur iuri communi, ius proprium, id est, ius ciuile efficitur.

Topicalis tota hæc pars est, ex qua multi argumentorum loci ducuntur, neque alibi melius didici quomodo species forment, quod est cum generi adijcitur qualitas, quam specificam differentiam dialectici appellant, aut quid à communi eximitur, & ad certam redigitur formam. Ius ergo commune est genus siue materia ex qua ius ciuile conficitur, & per hoc potissima iuris ciuilis pars est ius commune, à quo seungi non potest, ueluti reliquæ species à sua materia sunt inseparabiles. Unde fit, ius ciuile & commune inter se pugnare non posse, sed unum ab altero pendere, seque inuicem confouere, & eodem pergere, id est, ad eundem finem, ut egregie idem frater Gerardus docet.

Ius itaque commune ex quo quisque populus ius sibi constituit, duplex est: unum latissimum, quod gentium dicitur: alterum Romanum quod commune est inter omnes Romani imperij populos. Quoties igitur aliquid his addit detrahitur uel sit quoddam ius proprium, appellaturque ius ciuile siue municipale eius ciuitatis in qua constituitur. Inst. de iu. n. q. 1. §. ius ciuile. le. c. ius quæritur. i. dist. 1.

Est præterea ius Quiritium, quo soli Quirites tenentur, id est, qui domicilium Romæ obtinent. Cæterarum uero ciuitatum appellantur iura municipalia, nostra Quiritia longe ab his absunt, & imperite à quibusdam municipalia nominantur, cum Roma non sit municipium; reliqua quippe oppida à muneribus in urbe Roma capiendis dicta sunt municipia. Paulus in lege prima ad municipales, & Gellius in noctibus Atticis. Est ergo ius commune gentium omnium, item commune Romanorum, item Quiritium, quo nos soli Romæ utimur: quartum municipale. Alterius cuiusque populi illa duo communia semper uigere creduntur, hæc duo alia nisi liqueat ab omnium communium comunitate recessisse dissimulari possunt.

Hinc Bal. testamentum coram duobus testibus extra limites Romani imperij factum ualere respondit, nisi diuersum illic à iure gentium in usu esse constiterit. Ex contrario etiam definiendum arbitror de testamento intra limites nostros paucioribus quam septem testibus facto, non ualere nisi probetur alio iure licuisse. l. si non speciali. C. de testa.

Idem rursus notat Baldus rem nouam fieri adiectione, aut detractioe eius quod uariat effectus, & ideo tradit qualitatem in obligationibus futilem esse, quæ actionis dandæ aut denegandæ causa non est, quauis sit causa execrationis temperandæ. Arg. l. in delictis. §. si detracta, de noxalibus. Ergo non omnis adiectio aut detractio facit rem nouam: non omne statutum facit ius municipale: non omni rescripto ordinarius fit delegatus: non omni additamento nouatur libellus. De quibus & alijs multis legendus hic Iason est, qui curiosius ac copiosius præ cæteris ista pertractat, & autores atque locos petendos commemorat.

Uni ordinario rescribitur, autoritate nostra cognoscas; alteri, quicquid nostra autoritate feceris, ratum erit. Quid inter hæc quaris? In confessio esse apud omnes, Iason scribit; primo rescripto delegatum ex ordinario factum; secundo non factum, ea ratione quod clausula adiecta actibus consecutiuis non uariat naturam primarium, ut in Clementina prima de præb.

Qualitates ergo tum nouant si specificæ sint, si primarijs actibus adijciantur. Debitor in iudicio creditori obtulit ac deposuit his uerbis: Duo milia quæ debeo, offero, & numerata depono uti capias, acceptaque feras, peto tamen & uolo non tradi nisi illud factum fuerit. Quæsitum num conditionale depositum esset. quidam in iuris sapientia & aduocatione clarus conditionale censuit: ego ex ijs quæ supra dicta sunt, purum respondi, & traditioni à depositario faciendæ adiectam

C qualitatem, non autem dispositioni; addiditque, uerba depositionis non erant con-
cepta forma conditionalis, neque eodem orationis contextu, sed post perfectum de-
positionis actum modus traditioni dictus. Verum maiorem dubitationem mouet,
utrum depositum qui recepit cogi omnino queat creditori tradere, quasi lex non
ualuerit traditioni imponi quae deposito non fuit imposita. Io. And. & Car. Alex.
in potestate contrahentium negant esse, ut actus perfecti non pariant iuris effe-
ctus. Fidem his faciunt quae adducuntur in illa quaestione, donantis ecclesiae eale-
ge, ne donata sit in administratione Episcopali: Item in illa, eius qui se monaste-
rio addixit ea lege ut rerum dominium remaneat usum.

In c. si. de cons-
di. ap.
l. serui elec. §.
i. de leg. i. et
l. si pupillus. §.
si. de uerbo. si-
gni.

Obseruandum postremo est, id proprium cuiusque dici quod non est cum alijs
commune, et quamuis quod commune est nostrum dicere usurpemus, non ta-
men quod commune est dicere ualemus proprium; plus quidem est proprium
quam meum uel nostrum; illud excludit communionem, hoc admittit. Vnde Io.
And. statuto loquens de re propria, putat locum non esse in ea quae communis est.

Bal. in l. i. c.
qui testa. fa.
pos.
In l. lex corne-
lia. de iniur.

Lex ait, iniuria in domo propria facta acrius uindictetur; quidam putant eadem
poena non uindicandam si fiat in domo communi. At Papi. eum qui introierit do-
mum habitationis conductam contra l. Corneliam, prohibentem in domum al-
terius uel introiri, fecisse respondit. Similiter & domum suam ad adulterium praes-
buisse definit eum qui domicilium conductum praebuit. Cogita num legisla-
ris spectanda sit mens, neue uocabulorum scrupulositate, quam Celsus detestari
solebat, perniciose poena eludatur, et ideo hoc casu propria siue ratione habita-
tionis, siue possessionis, siue proprietatis, satis fortassis erit ad poenam commite-
tendam. Prospicere enim lex uoluit ijs quibus ratione loci grauior sit contume-

D lia, non autem domibus communionem nescientibus; concedo tamen quando
domus esset cohabitationis ipsorum rixantium, uel alio iure communis, & ab eo
qui iniuriam passus est non habitaretur, legi locum non esse.

IN LEGE IUS PLURIBVS MODIS.

DE IUSTITIA ET IVRE

IULIUS PAVLVS.

Ubi cunque Praetor, salua maiestate imperij sui, saluoque more maio-
rum, ius dicere constituit, is locus recte ius appellatur.

Sine controuersia receptus sensus est, Praetori non licere alibi quam in loco
maiorum ius dicere. Vnde doctores colligunt in causis quae plenam cognitionem
desiderant, ab ordinarijs iudicibus alibi dictam sententiam non ualere.

Si uerum amamus, Paulus non arctat praetorem certo ab alijs constituto loco ius
dicere; ubi cunque, ait, ius dicere constituit, ergo in praetoris arbitrio fuit iuris di-
cendi locum deliberare, modo talis sit, ubi salua maiestate imperij, seruatoque mo-
re maiorum, ius reddi possit. Nam in Basilicis ius reddebatur, ubi multa tribuna-
lia erant, ut in auditorio Apostolico uidemus, ex quibus unum eligere pro arbi-
trio praetoris fuisse hic probatur. Fateor tamen in oppidis hodie, ubi iudicibus
assignata sunt certa tribunaia, inutiliter non in eis ius dici.

Salua maiestate imperij sui.

l. si cum dies. §.
si arbiter. infra.
de arbit.

Siquidem priuatus homo qui arbitrium recepit, decorum seruare debet, ne ex
loco sententiae dicendae dignitas laedatur, longe plus rationem maiestatis suae ha-
bere de-

A bere debet Praetor. Vnde fit quando certa iudicibus non sunt constituta loca, fru-
stra eum ius reddere, ubi persona quam gerit publicam laeditur.

Saluoque more maiorum.

Pro solennibus accipio opera Tribuniani. Nos fugit qualis hic maiorum mos
fuerit, nonnulla tamen uarijs ex locis colligi posse reor, & in primis ut pro tribuna-
nali sedens ius dicat praetor, non in subellijs neque alibi. Nequaquam omnibus ma-
gistratibus tribunaalis fastigio utendi ius fuit, sed maioribus tantum, ueluti consu-
libus Romae, praetoribus, & praefecto urbis; in prouincijs uero praesidibus, pro-
consulibus, & imperatoribus; minores autem magistratus in subellijs ius redde-
bant. auctor est Padianus. Et ideo Ulpianus in l. pri. de iudic. dixit: Qui tribunaali
praest, uel aliam iurisdictionem habet; quod non omnis qui iurisdictioni praest tri-
bunaali ascendit. Tribunaalis sedem in sublimi fuisse arguit Quintil. Orat inst. quan-
do instruit eum, qui apud tribunaal dicturus est, Vultu stet erecto, ut cum apud
quem dicit, spectet. Cuius autem formae tribunaalia essent, Vitruius. v. de archit.
scribit. Hinc est quando non in tribunaali praetor quid statuit, de plano, pro eo quod
non in edito sed planicie pauimenti ius dicit. Cito huc Ulpiani uerba in l. si pupil-
lus, de uerb. sig. aperte hanc significationem probantia, Proscribere, inquit, palam sic
accipimus claris literis ut de plano legi possit ante tabernam, de plano, id est, de so-
lo uia. Recte igitur Accursius, Bartol. & Bal. de plano, pro non in tribunaali in-
terpretantur.

De plano.

Item quod ueste ut trabea & ornamentis praetorijs ius dicat, praesertim habeat
caetera magistratus insignia, puta lictores, fasces, apparitores, sellam eburneam
curulem, & alia nobis incognita. Colligo ex uerbis Ulpia. in l. i. de postul. quan-
do meminit caecum utriusque luminibus orbatum non admitti ad postulandum, quia
insignia magistratus reuereri non potest; & quia non nouum est a uetustioribus
instituta praesentia definitionem capere, igitur non iniuria contendere posse reor,
Senator Capitolinus noster quando tribunaali insedit sine regio ex eboris sceptro,
& praese non teneat ex more galerum uaginatamque enses & insignia reliqua, fru-
stra ius dicere; neque diuersum de sacri palatii auditoribus forte censendum est, quia
quis non in auditorio publico, aut non pro tribunaali, aut non ex more maiorum
indutus ius dixerit.

arg. l. non est no-
uum. & l. ideo.
infra de legib.

Quaeruit Gulielmus, num consentientibus litigatoribus ualeat non in loco
maiorum dicta sententia? & putat ualere eo argumento, quod eorundem con-
sensu potest tempus etiam immutari. l. ij. §. sed si iudex. de iud. quod Bartolus, Bal-
dus & omnes sequuntur.

Quae decisio, ni fallor, pugnat cum hac iureconsulti definitione, quod non li-
tigatoribus, sed publico imperij decoro & maiestati consultum esse uult. Salua
imperij sui maiestate, ait, non litigantium uoluntate. Porro frigidissima est illa ar-
gumentatio de tempore ad locum, quoniam temporis prorogatio priuata litigan-
tium respicit comoditatem, tribunaalis autem ex more maiorum fastigium publi-
cam maiestatem custodit; etenim quae publici decoris sunt, priuatorum pactio-
nibus non subiiciunt. l. quos aut. infra de postul. & l. neque pignus. §. si. de reg. iur.

Adde, ueteri instituto quisquis ex magistratibus contra maiestatem imperij
sui quid fecisset, lege maiestatis reus fiebat, ut de L. Flaminio memoriae proditum
est, quem Cato censor senatu mouit ob inquinatam honoris maiestatem, per sup-
plicium de damnato in prouincia ad spectaculum meretricis sumptum.

DE ORIGINE IVRIS

CAIVS.

C Facturus legum uetustarū interpretationem, necessario prius ab initijs Urbis repetendum existimaui, non quia uelim uerbosus commentarios facere, sed in omnibus rebus animaduerto id perfectum esse, quod ex omnibus suis partibus constat, & certe cuiuscq; rei potissima pars principium est.

Ex hac præfatiūcula licet æstimare quàm magna, pulchra, necessariaq; rerum cognitio cum libris Cai nobis perijt, & quàm lachrymabilē iacturam fecerimus in præclara illa Digestorū supellectili, ac reliquis iurecōsultorū lucubratiōibus. Liur græculus gloriæ Romanæ linguæ plus detrimenti attulit quàm Gotorū, Herulorum, Vandalorumq; uastationes & incendia. Cautius fecisses Iustiniane siue Tribuniane, huic operi hanc præfatiunculam non inferere, ex qua teipsum damnas imperfectæ & recisæ undique iuris sapientiæ. Iuris centones utique non Digestorum libros edidisti; & ô utinam centonum legem seruasses; uerbosa uolumina causaris, nec quicquā ædepol tuis cōstitutionibus uerbosius atq; ineptius legitur, maxime nouellis, ubi neq; uerba sensibus, neq; sensus uerbis coherent.

IN L. II. DE ORIG. IVRIS. POMPONIVS.

D Postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipsum Romulū traditur Populum in triginta partes diuissse, quas partes Curias appellauit, Proptereaq; Reip. curā per sentētiās partiū expediebat, & ita leges quasdam ipse curiātas ad populum tulit; tulerūt & sequentes reges.

Zafius. Doctissimos atq; elegantissimos in hanc legem commentarios Vldricus Zafius nuper edidit, uir quidem linguæ Romanæ candore ac iuris sapientiā illustris; uerum quia natura ita comparatū est, ut messor quantumuis diligens efficere nō ualeat quin spicilegiū relinquatur, igitur non tanquam perfecto operi fastigium imposturus, sed superstites spicas collecturus accedo, ne pereant.

Gubernationū species.

Gubernationum species iustæ tres à sapientibus definitæ sunt: prima Regiā, quæ dei typum tenet in terris, & hæc naturalissima, si innocua fuerit, ut apum sine aculeis, quam Plato tum Cretensem tum Laconicum nominat.

Secunda optimatū, quam senatoriam nostri nominarūt: Græci aristocratia. Tertia popularis, cuius institutum est per uices imperandi parendiq; & hæc Respublica, quasi res populi.

Ferre II. ad populum.

Quarum omnium finis est commune bonum & uniuersorum utilitas. Ex his nonnullas mixtas fieri, ut optimatū regiæ iunctam: aliam ex populari & senatoria; tertiam ex regiā, senatoria, & populari mixtam, ut Platoniam, & hæc omnium perfectior, quam à Romulo sapientissime institutam hic uidemus. Primū enim centum senatores sibi iunxit, mox uniuersum populum xxx. diuisum partibus, quas à cura ferendæ Reip. Curias appellauit, quarum suffragijs omnia expediebantur, leges decernebantur, & hoc est ferre ad populum leges, scilicet in populi consultationem ponere, & interrogare si placeret; non autem promulgare ut illiterati dicūt. Idem fecerunt sequentes reges, unde omnes leges regiæ curiatae sunt appellatae. Hunc locum pulcherrimum iudicauit tuus Leo X. Clemens clementissime, & à nullo antea obseruatum dicebat, & se apud alios non legisse.

Taceat igitur adulator Sabellius in Venetorū historia, qui primordia Urbis parum læta perhibet, quod longam prius, inquit, seruitutē senserint quàm ullam libertatis

A libertatis dulcedinem, nam nulla lætior omnium sapientum iudicio, nulla tranquillior, nulla expetibilior libertas est quàm sub regia gubernatione; longe uero præstantior sub hac Platonica & Romulea mixtura. Nullam unquam Romani sub regibus seruitutem seruiuerunt nisi sub Tarquinijs, quam repente excusserunt. Crispus in Catilina: Post ubi imperium regium, quod initio conseruandæ libertatis atq; augendæ reip. causa fuerat, in superbiam dominationemq; se conuertit, immutato more annua imperia binosq; imperatores sibi fecere.

Exactis deinde regibus, lege Tribunitia omnes leges exoleuerunt.

Obserua eiecto rege, leges regias non intelligi abrogatas. Quid autem de expulsi tyranni legibus; mox cum tyrannide antiquatas arguit Diui Leonis constitutio in l. decernimus, de sacrosan. eccle. quam Cynus, Bar. & Bal. sic intelligunt.

Sed quare aliud in rege, & aliud in tyrāno; quoniam legitima regalis est potestas, & eius ueræ sunt leges; tyranni uero, quia uis est, eius scita nō sunt leges. Fuius hæc ista tractaui in libris quos ad sanctissimum Leonem X. Pon. Max. de principatu scripsi. Cæsar Borgia defuncto Alexan. vi. eius patre, Vaticanum ualidissimo exercitu occupauit, ut ad eius nutū Pontifex crearetur. Nam haud minima pars Cardinalium eius factionem tuebatur; tandem multis pellectus promissioibus, & ante omnia incolumitatis, in Iulianum episcopum Hostien. qui Iulius II. appellatus est, consentit.

Quæsitum fuit, num Iulius stare promissis deberet? omnes ferè stari oportere censuerunt, eo uulgari quod hostibus etiam seruanda est fides. Ipse uero respondit: Promissis tyranno, maxime de incolumitate, factis stari non oportere; latere dicebam eos qui contra sentiunt, quanta inter utrunq; sit discrepantia.

B Tametsi hosti religiose seruanda est fides, nō tamen tyrannis, neq; piratis, quibus cum nullum ius esse maiores nostri definierunt, neq; fidem, neq; iusurandū; at cum iusto hoste totum ius fœciale, ac perduellionis uiget. Fides, iusurandum & alia multa iura cōmunia esse testatur Cicero: ex aduerso exitiales humani generis pestes tyranni & piratae sunt definiti, perfidi, immanes, impij, ex hominum communitate omni uia exterminandi. Quænam carior, quæ arctior, magisq; inuolabilis coniunctio esse potest illa, quam inter patrem & filium, diuina humanaq; iura cōstituerunt? & tamen honestissima patricidij causa in filio est, tyrannū patrem occidisse. Cōcludo itaq; neq; tyrannis, nec piratis cæterisq; publicis prædonibus fidem incolumitatis seruandam communi saltem causa, contraq; ius humanæ societatis facere eū qui fidem datam seruat. Hæc si noua nostris Legulcijs uidebitur sententia, tamen uera est, quam ex recte philosophatū scholis hausit, & Ciceronis iij. offi. traditionibus.

Hosti seruanda fides.

L. Minime. infra de relig. & sump. su.

Ad stipulatur his præclara illa Baldi sentētia, dicētis: Si Papa aut Imperator aut Rex liberam ciuitatē cogit profiteri esse suam, fidelitatisq; iuramentū exigat, nihil tamē minus & professionē & iusurandū non tenere ea ratione, inquit, quod tunc ad instar tyrāni redigunt, quod Iason in præludijs feudorū, & literatissimus Cotta in memorialibus suis cōmendat. Sentit ergo Bal. neq; fidē neq; iusurandū tyranno præstitum seruari oportere, neq; legitimo etiam Principi, quod plus est, in eo quod tyrannū agit. In eadem causa esse indociles hæresiarchas didici à sanctissimo sapientissimoq; Leone X. Pon. Max. dum hæc scripta recitarem; cōmemorauit enim Ioannem Hus, & Hieronimū discipulū grauissimo Constan. concilij iudicio, promissa quamuis securitas fuisset, legitima flamma concrematos. Et iure quidem, postquam tyrannis, quia corpus occidunt, fides seruanda nō est longe minus hæreticis his qui occidunt animas. Porrò fieri nō potest incolumibus uiris huiusmodi, quin simplices fidelium animæ capiantur; at graue est fidem

In l. nec si uolens C. de libe. cau. per illum tex.

Hæreticis fides non seruanda.

C fallere; ueruntamē promissa cōtra Christum fides si praestetur, utiq; perfidia est;

Quas in tabulis eburneis scriptas pro rostris posuerūt, ut possent leges apertius percipi.

Posuerunt leges, non composuerūt, ut in uulgatis codicibus malis legitur.

Accursius pro rostris, id est ante oculos & hora hominum non male intelligit, & etymologiam coniecturatur.

Baldus rostra credidit esse archiuum publicū, unde infert, quae in archiuo publico sunt pro rostris, id est, ante oculos hominum posita existimari, cum ab omnibus legi possint & eorum copia haberi, idq; satis esse ad uulgandas leges, ut omnes teneant.

Ergo in publicum, ante ora omnium quid edere, & in archiuo publico recondere, paria esse sentit Baldus. Et propterea leges in archiuo repositas aequae ut publice omnibus uulgatas ligare, quae ut ridicula & periculosa, sic falsa est sententia, quamuis pro oraculo habeatur; nimirum ignorantia rerum Romanarum, & latinitatis hoc efficit, quam quidem inscitiam non tam per se detestandam arbitror, quam quod supina & affectata est.

Reuerenter dico impudentis esse audere de legibus Romanis disputare, sine cognitione rerum Romanarum, ac sermonis quo sunt scriptae. Necessariam Caius scribit in praescripta sua praefatiuncula, & Pomponius in initio huius legis talem cognitionem; hinc est quod non hic solus offenditur error, sed plus mille a doctis uiris, totidemq; falsae in iure decisiones notantur. Non haec dico corripienti animo, sed admonendi Iustinianos, ne communi errore, cognitu digna, ac necessaria contemnant.

Nimis multum, me deus, inter se differunt Archiuum & Rostra. Archiuum, non est qui ignoret, esse repositorium librorum, siue sit publicum siue priuatum, & non sine exacta custodia haberi clausa, quae in archiuo reconduntur.

Rostra autem fuisse didici forum ante curiam Hostiliam, appellatum a rostris nauium, quae nauali pugna ab Antiatris captae feruntur, ubi pulpitem erat concionantium his rostris ornatum, ibiq; legum tabulae affigebantur omnibus conspectu, & trinundino quoq; die antequam ratae essent, quia uniuersa plebs ex agris confluere, uulgari solitas. Macrobius in Saturnalibus meminit, Quod institutum ex legibus Solonis decemuiris receperunt.

Redeo ad Baldum. Archiuorum uides usum ad res repositas seruandas; rostrorum autem ad uulgandum ibi appensas; quomodo ergo rostris aequiparas armario? & non ueram iuris definitionem inde colligis ac doces, scilicet legibus in armario clausis ligari iusta ignorantia ignorantes.

His legibus latis, coepit, ut naturaliter euenire solet, ut interpretatio desideraret auctoritatem prudentum, necessariamq; disceptationem fori. Haec disputatio & hoc ius quod sine scripto uenit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur ut caeterae partes iuris suis nominibus designantur, sed communi nomine appellatur Ius ciuile

Non alius in toto iuris corpore locus est qui clarius doceat sine sapientium interpretatione leges siue statuta muta iacere. Nam XII. tab. leges, de quarum interpretatione Pomponius loquitur, non aliud tum erant, quam id quod nostri nunc statuta uocant, & ideo ius commune non faciebant. Porro Imperium Romanum XII. lapidem non egrediebatur, finitimi populi, aut socii, aut foederati, aut hostes

Vnde

A Vnde liquet, arbitror, insulse dubitatum, utrum statuta interpretationem recipiant: quam q. Albericus ut magni faceret rotatam memorat, palamq; sit iurisperitoriam interpretationem a statutis desiderari, quae ex bono & aequo uoluntates scriptatur, amplectitur. Pomponius ait desideratam auctoritatem prudentum, non autem grammaticorum qui uim duntaxat uerborum insectantur; quippe qui interpretationem a statutis reijciunt, ius bono & aequo reijciunt. Quod est contra Signorelium Homodeum uirum alioquin sapientissimum, & caeteros contendentes non aliter statuta quam uerbis tenus intelligenda, multumq; esse inter statuta & illa quod huius commune, statuta ius huius & illius priuati populi faciunt, strictiq; iuris esse, & ideo uerbis non expressum pro non dicto esse; neque mirum dicunt in illa diuersum per quas conuenit nihil indiscussum relinqui, quia non aliud post ipsum ius superesse quod decidat, & absurdum uidetur casus relinquere indecisos; in ijs uero quae statuta non definiunt non potest desiderari decisio, cum praesto semper ad sit iuris communis decisio. Quae probabilia uisa sunt multis non considerantibus iurisperitorum sudores in illa ac stipulationibus interpretandis, neque distinguentibus inter ius commune, & commune quod duplex esse ostendimus, & ignorantibus Roma. ius ab initio non aliud fuisse quam municipale, post propagatum autem imperium coepisse esse ius commune inter omnes Imper. Roma. populos, & sic positum semper a iureconsulto secundum uoluntatem ex bono & aequo interpretatum, ut in ipsis ff. lib. licet inspicere, neq; extat ratio cur in altero magis sequenda sit mens. Falso ergo dictum non superesse aliud ius commune, a quo decisiones casuum omissorum duci queant, ius enim gentium aeternum non hominum dicitur, sed sola naturali ratione constitutum, quae ratio iugiter uiget aequa iusta omnium decisionum mater & fundamentum, neq; se expectari patitur ubi definitione opus, ut supra in tractatu de bono & aequo explicatum fuit.

B Non ineleganter colligit Bal. legum interpretationem similiter & fori disceptationem usq; adeo necessariam, ut nulla constitutione inhiberi queat. Si necessaria, inquit, est, ergo eius contrarium impossibile statutum non ualet. Et intelligo de uera & iusta interpretatione, sine qua dictum uel scriptum nequit intelligi, neq; ab iniuria, & absurdo uindicari potest. Porro naturaliter cuiusq; lectionis finis est intelligere, medium autem ad intelligendum, uera est interpretatio; unde consequens sit ipsam etiam interpretationem aequae a natura esse. Et obseruandum est non cuiusque interpretationem recipiendam, sed eius duntaxat prudentis qui auctoritate ualet; unde fit non de grammaticali expositione Pomponium loqui, sed iurisperitoria uoluntatis scrutatrice, & aduocatum usum esse necessariam, & tolli non posse. Quanta autem molis in Repub. sit, petendum est a diuino Leonis constitutione, in l. aduocat. C. de aduoc. diuer. iudi. insuper forensium disceptationum definitiones, aut praedictum, aut ius facere; quo in gradu apud nos hodie, ut reor, sunt decisiones Rotae.

Sed communi nomine ius ciuile nominatur.

Veluti XII. tabularum interpretationes uidemus hic ius ciuile, & alibi ius legitimum appellari; pariter legum municipalium interpretationes, ius municipale recte dici possunt. Ratio in promptu est, quod legis sensus non diuersum quid est ab ipsa lege, neq; aliud est interpretatio, qm mentis legalis enarratio, & per hoc ipsa met lex est. Merito idcirco uera legis interpretatio, uera lex dici potest. Illa q; uera censetur interpretatio, quae aut prudentum constat auctoritate, aut forensibus disceptationibus excutitur; item illa per quam efficitur, ne syllaba quidem in oratione frustra sit posita, aut absurdum iniquum ue excluditur.

An statuta interpretationem recipiant.

Interpretatio u. necessaria.

Iurisperitoria auctoritas interpretandi.

Archiuum.

D

Rostra.

C Euenit ut necesse esset reipub. per unum consuli, nam Senatus nō omnes prouincias prouide gerere poterat, igitur constituto Principe datum est ei ius, ut quod constituisset, ratum esset.

*Imperator cur
constitutus.*

Haud ociose à Pomponio dictum reor, Principem ideo constitutum fuisse, quod Senatus omnes prouincias prouide gerere non poterat, & sic non ad dominium urbis, sed ad bene administrandam reipub. Senatui iunctus fuit, & eas regendas prouincias, quas Senatus gubernare solus impotens erat, ueluti limitares prouincias, & ceteras quæ sine armis retineri nequibant, pro quibus moderandis, necessum fuit, per unum consuli ait Pomponius, non autem dominari, qui exercitibus imperaret, à quo imperio Imperatores, id est exercituum duces appellati sunt. Trahor enim in hanc sententiam Strabonis autoritate, cuius locupletissimum testimonium aperit nobis huius loci sensum. De qua re fuis differuimus in libris de Principatu quos ad Leonem X. Pont. Max. dedimus. Strabonis autem uerba sunt hæc: Cæsar Augustus, cum patria ei totius imperij patrociniū permiserit, & pacis & belli, quæ diu uixerit, potestatem habere, totum imperiū bifariam diuisit; nam partem sibi ascituit, partem populo dedit, ac sibi quidem quæcunq; militum præsidio indigeret. Ea est regio Barbara, & gentibus nondum subactis finitima, sterilis sanè, et cultu difficilis, ut propter ceterarum rerum inopiam, & copiam munitionum iugum detraxerit. Populo autem reliquam concessit, quæ pacata est, & facile sine armis retinetur; utranq; portionem in prouincias complures diuisit, quarū aliæ Cæsaris, aliæ populi dicuntur. In suas præfecturas Cæsar ipse administratores mittit, & alio tempore aliter partitur regionem, & ut res postulat, ita uersatur. In populi prouincias populus imperatores, uel consules mittit, si hæc quoq; in diuisiones alias deducuntur prout usus postulauerit, in initio tamen duas consulares fecit, Libyā scilicet quæ Romanis parat, ea duntaxat excepta, quæ prius sub Iuba fuit, nunc non sub Prolemæo est illius filio, & Asiam cis Alim, et montem Taurum, Galatis exceptis, & gentibus quæ sub Amynta fuerunt; præter etiam Bithyniam, et Propontidē. Præturas uero decem in Europa quidem, et adiacentibus insulis, eam scilicet quæ ulterior Iberia dicitur, circa Betim flumē est, et Attacen, et ex Celtica Narbonensem; tertiam Sardiniam cum Cyrno; quartam Siciliam; quintam & sextam Illyriam partem, quæ ad Epirum, et Macedoniam; septimam Achaiam usque in Thessaliā, et Etholiam, et Acarnaniam, et nonnullas Epiri gētes, quæ Macedonia sunt conterminæ; octauam Creten cum Cyrenaica; nonam Cyprum; decimam Bythiniam cum Propontide, et quibusdam ponti partibus. Ceteras Cæsar prouincias habet in quarum alias procuratores mittit consulares uiros, in alias prætorios, in alias homines ex equestri ordine. Reges uero, & Principes, et decarchæ eius portionis sunt, ac semper iure.

Hæc Strabo cum uerbis Pomponij congru-

entia. Quæ omnia obserua pro-

ijs quæ dicturus sum in l. i.

de con. princi.

FINIS.



Memoria proditum est, Clementis. Clemens, Epicureorum & Stoicorum libros, quod ruditer, & sine ullo nitore scripti essent, nō nisi à suis legi solitos. Neq; diuersum contingere nostris nunc Iuris professoribus experimur. Digestorum quidē libri ab omnibus passim summa delectatione leguntur: Commentaria uero in illos tot sudoribus lucubrata, ut primum in manus ueniunt, reijciuntur. Ab utentis sanè ocio & literis esse, inquit Cicero, cogitationes suas ita scriptis mandare, ut neq; aliter lectorem neq; delectare possint. Quod uitiū ut euitarem, & uoto Leonis X. fratris tui, qui in omni re uel literaria, in primis acerrimi atq; grauissimi iudicij erat, quantum in me esset, satisfacere, sex libris omnia rite repetita, quæ ad legum Municipalium tractatū pertinent, memoratu digna supra uulgarem consuetudinem paulo elegantius, & quantum materia ipsa & ratio differendi postulat, hic explicantur, ad artem redacta ex ueterum & recentium Iurisconsultorum traditionibus: quorum sententias, quæ pugnare inter se uidebantur, summa diligentia conciliare studui: & quæ confuse multa ab alijs scribuntur, atq; obscure, hic lucide, distincte, suisq; locis ac uocabulis restituta lector inueniet, tam iuris quàm rhetoricæ studiosis cognitum necessaria. Vale, Pontificū Max. decus & ornamentum.

MARI SALOMONII

ALBERTISCHI, IURISCONSULTI, EQVITISQVE ROMANI, AC ADVOCATI CONSISTORIANI, IN LEGEM, OMNES POPVLI, COMMENTARIO: RVM LIBER PRIMVS.

CAIVS LIBRO PRIMO INSTITVTIONVM.



Mnes populi, qui legibus, aut moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium est ciuitatis, uocaturque Ius Ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis. Quod uero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes peraeque custoditur, uocaturque Ius gentium, quasi quo iure omnes utuntur.

Inst. de iur. nat. §. ex non scripto.

Sunt populi, qui scriptis tantum legibus utuntur, ut olim Athenienses: sunt qui non scriptis, ut Lacedaemones: sunt qui scriptis simul & non scriptis, ut Romani: & idcirco lego disunctiue legibus, aut moribus, ut in antiquis exemplaribus inueniunt: propter quod tolluntur omnes ambages de re latiuo quis, uel qui. Errant qui putant esse populos, qui neque legibus, neque moribus uiuant, quod est impossibile. Nam latrones etiam conuiuere nequirent, sine certis inter ipsos institutis, maxime de quaerenda & partienda praeda. Nec ociose uerbo Reguntur usus est Iureconsultus, ut ueterem inter sapientes quaestione dirimeret. Disputant enim utrum a legibus, an hominibus regi conueniat, id est, magistratus praesint legibus, an leges magistratibus, de quo in l. ij. de ll. dicemus.

Quod uero naturalis ratio inter homines constituit, id peraeque &c.

i. dist. c. ius naturale. et c. ius ciui.

Nunquid Ius ciuile non ratione, aut alia ratione quam naturali constituitur? & utique non alia quam naturali. Porro a ratione, quae ius commune efficit, penitus recedere non ualet, cui etiam seruire in multis, supra in l. Ius autem. tradit Vlpianus. Vtrumque ergo & gentium, & ciuile a naturali ratione proficiscitur: Gentium quidem diuina quadam ui, siue ratione dictante, inter omnes homines diffusum receptumque custoditur: Ciuile uero non sine hominis decreto, intra septa tantum constituentis populi uulgatum uiget: humana itaque semper ratio, in utroque dominatur & praesidet.

De legibus populorum scrutari conuenit: Primo, quo iure constituentur: Secundo, quales constitui oporteat: Postremo, de earum interpretatione & sensu.

De prima quaestione proliuior sententia est per hanc l. Populis condendarum legum factam esse potestatem, quod Politus in suis annotationibus, non iniuria fortassis deridet: Narrat, inquit, haec lex, non disponit. Verba sunt ex institutionibus Cai iurisconsulti excerpta. Nam consequens ista ratio foret, ante hanc l. id est, ante Iustinianum qui uim legis tribuit, populis non fuisse ius scribendi sibi ciuili societatis conditiones, & pacta. At probabilius est eodem iure gentium, populos sibi leges dicere, quo ipsae sunt ciuitates. Quod Baldo hic placet, & Aristoteles secundo politicorum probat, suaderetque naturalis ratio, quod frustra ius gentium in ciuitates coiri institueret, nisi quemadmodum inter se uiueret disponendi fecisset potestatem.

l. ex hoc iure. supra co.

IN L. OMNES POPVLI COMMENT. LIB. I. 19

A potestatem. Ius (inquit Aristoteles) ciuili societatis est ordinatio, sine qua consistere non possunt populi.

Quales autem leges constitui oporteat, Isidorus & Gratianus sic docent: Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriae, loco temporisque conueniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, nihil per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato comodo, sed pro communi ciuium utilitate conscripta.

c. erit. iij. distin.

Hisdem item autoribus tales esse debent, ut earum metu humana coercetur audacia, & nocendi recidatur facultas, tutaque sit inter improbos innocentia. Postremo Platone, Aristotele, & Cicerone autoribus, leges huiusmodi esse oportet, ut ualeant tranquillum ciuitatis statum componere, stabilire, tueri, animos erga deum, religionem, ciuilem humanamque societatem affectos habere, & omnes denique in officio sic continere, ut improbi lineas transilire ne possint, bone uelint. Adde ex sententia sapientissimi Isocratis ad Nicoclem, in primis ne tales sint leges, quae discordias nutrant, quinimmo lites omnes, & controuersias funditus tollant. Iam ad quaestiones accedamus, quae ex praepositis definiuntur.

c. facta. iij. distin.

SIT LEX.

Occidens ciuem capite puniatur: occidens aduenam numeraria poena plectatur.

Quaritur de iustitia legis.

Pro statuto est, ueluti grauius delictum est ciuem quam alienigenam occidere, sic iustum, grauiorem poenam constitui de occiso ciue, cuius amissione laeditur res publica: etenim corona ciuica donabantur, qui ciuem in praelio seruassent: praclareque Scipio dictitare solebat, malle se unum ciuem seruare, quam mille hostes occidere. Vnde plane intelligitur quanti facienda sit ciuis unius uita: plurisque comoda nostra uel publica habenda sunt, quam inimicorum magna strages, uel detrimenta: circa quae triplex succurrit inspectio.

Prima, utrum uere grauior sit praeposita occisi ciuis poena.

Altera, utrum ualide de occiso homine, pecuniaria constituatur poena.

Tertia, utrum ferendum si non capitalis poena, de occiso aduena statuatur. Redeo ad primum. Quamquam suapte natura, omnis personalis poena grauior sit quacumque numeraria, nihilominus in praesenti specie, nulla grauior de occiso ciue statuta uidetur, quoniam omni iure, de homicidio debita ac iustissima est poena capitis. Excedat igitur capitalem legislator oportet, qui acerbius uindictam uult ciuium caedes. Nam hoc casu, illam grauiorem arbitror, quae legitimam poenam supergreditur, & leuiorem quae citra legitimam infligitur, & propterea tali statuto, de occiso aduena uere leuior imponitur poena, de occiso autem ciue non grauior.

Secunda quaestio non noua est, & adhuc sub iudice. Hostien. censuit inualidum statutum, haud illepida ratione diminutae poenae, quod ad caedes pronior sit audacia, ubi coercenda foret. Archidiaconus & Tancredus in compendiosa sua repugnare id statutum dicunt diuino, humano, pontificioque iuri, sequunturque Ioan. Andre. Butr. Anch. Gemi. Panor. & tota fere Canonistarum schola diuersam partem defendit. Albericus in quaestionibus statutarum mouetur quod inter se ciues hoc statuere possunt, per hanc l. Adiecitque totum mundum hoc seruare. Idem ubique sentit Bartolus, & Angelus pro Bart. Immola adducit, quod lege Cornelia non semper capite feriebantur homicidae: quidam admittunt in homicidijs iam factis. Inclinat Baldus, si non parua pecunia multentur, quod Romano in singularibus placet.

Ad detegendam huius legis malitiam exercenda esset Lucij Neratii sagacitas. Neratius cum ferre non posset, lege XII. tabularum iniurias xxv. aeris poena

In summa de co se. §. iij. in fi. et c. si. eo. ti. et. ij. de delict. pue.

xxij. q. iij. ca.

i. et. c. Episco.

ne cle. uel mo.

in vi. c. si. de co

se. ij. parte. q.

cxxij.

l. i. de pub. iud.

l. i. ad l. iul. de

gi.

C uindicari, seruum cum sacculo assium sequi se iussit; ipse obuios palmis cædebat, & mox singulis singulos xxv. asses pendi iubebat. Inde admoniti Prætores, de æstimandis iniurijs edicta posuerunt. Eodem modo pecuniosus quisque si occideret, legem de qua loquimur, ridiculam & infamem faceret. Mihi igitur semper humanior, ac uerior uisa est Hostiensis sententia, impellente diui Cypriani autoritate ad Donatum sic scribentis: Quod potest redimi, nõ timetur. Et alibi: Grande scelus non est, quod potest redimi, xi. q. iij. c. pauper. Nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nũmis existimat. Hieronymus ad Macedonium: Cum timetur, boni inter malos quiete uiuunt, & mali coërcentur. Et propter hoc idem in primis factas leges Isidorus & Gratianus tradiderunt, ut in ipsis improbis, formidato supplicio refrenetur audacia, & nocendi facultas. Indubium est ergo, nisi formidolosa sit pœna, improbitas non coërcetur: si non coërcetur, immanis, diraque debacchabitur. Formidolosa autem non est, quæ pecunia potest redimi: unde consequens fit, non leges, sed labes esse, quibus nocendi crescit audacia. Hanc partem ex recentioribus egregius Aretinus consultus, intantum probauit, quod adiiciens dixerit deterius esse bono publico, maleficium atrocissimum leui pœna puniri, quàm uiolare decorem ordinis ecclesiastici. Probat etiam Cofetus citando Caluanum doctorem antiquissimum. Sequitur & Felinus in Rub. de homic.

e. omnis. et c. fa
ct. iij. distin.

Argument. l.
conuenire. de
pac. dot. et l. i.
supra. de iusti.
et iure.
Consi. lix.

Alberici argumenta sic refelli posse reor. Ciues inter se, quod natura turpe est, aut reipublicæ noxiũ, statuere non posse, & sequeretur absurdum, quod leuior pœna remaneret de occiso ciue, quàm de occiso aduena. Nam si hoc inter ciues ualet, proculdubio in detrimentum alienigenarum non ualet, in quos populus nullum ius habet sic statuendi. Et propterea de occiso ciue nummaria remaneret, de occiso autem peregrino, capitalis non esset sublata, ut tertia quæstione dicitur. Estque à uero alienum, totum mundum id seruare, cum longe plures sint populi, ubi de homicidio pœna sumitur capitalis. Neque Baldi placet temperamentum, quoniam quisquis soluendo non est, aut impune occideret capitali sublata, aut capitis supplicium subiret, non quia occidit, sed quia pecuniosus non esset. Neque admitto illam distinctionem de homicidijs iam factis, quia magis indulgentia nuncupari potest, quàm pœnæ constitutio. Imolæ argumentum nihil est, quoniam lege Cornelia, mortis in humiliores, deportationis autem cum publicatione bonorum in honestiores pœna est, quæ altera mors est. Immo omnino supplicio forte grauior, nudatum omnibus fortunis in alterum orbem deferri, ad indefessam pœnam maximæ egestatis.

De tertia quæstione apud nostros nondum didici definitum, uerum humanitatis ratio negat exterorum cædes leuius conquiri. De qua re Cicero secundum Officiorum sic loquitur: Qui ciuium dicunt rationem esse habendam, exterorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem, qua sublata, liberalitas, beneficentia, bonitas, iustitia funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam aduersus Deos immortales impij iudicandi sunt. Ab his enim constitutam inter homines societatem euertunt, cuius societatis arctissimum uinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quàm omnia incommoda subire, uel externa, uel corporis, uel etiam ipsius animi, quæ uacent iustitia. Hæc Cicero. Et Iureconsultus hominem homini inficiari nefas esse scribit, propter cognationem inter homines à natura constitutam, non inter ciues dixit. Quapropter latere non debet tres esse humanæ societatis gradus præcipuos. Primus quidem est omnibus arctior atque angustior, inter eos qui eiusdem sunt domus uel familiæ, qui œconomicus appellatur. Alus latior inter eos qui eiusdem sunt ciuitatis, politicus. Tertius est, qui latissime patet inter

In l. ut uim.

A inter omnes gentes totius orbis, quasi urbis unius, unde Ius gentium hoc, & ex illo Ius ciuile nominatur. Et licet societatis cuiusque proprium sit, suum quoddam bonum exquirere, tamen omnium summa communis ea est, scilicet uitæ securitas, & beneuiuendo animi tranquillitas. Verum quo latius extendit se bonum, eo semper est melius ac præeligendum. Innaturale quippe est, minus bonum anteponi maiori, & idcirco bonum politicum præualet œconomico, & utriusque præponitur, quod inter omnes gentes diffunditur: & ueluti paterfamilias non ualet intra suos parietes quid constituere, quod institutis ciuitatis repugnet, ita nec populus intra mœnia statuere quid potest, quod humanum cõuictum uiolet. Nam non aliter se habere debent iura ciuilia erga Ius gentium, quàm habere se possunt collegiorum leges erga suæ ciuitatis instituta. Porro ciuitates ipsæ non inepte collegia dici possunt, si conferantur ad orbem uniuersum, ueluti corpora ipsa ad ciuitatem collata, recte collegia nominantur. Utrobique cœtus sunt hominum iure sociati, & in multis ab Accursio æquiparantur in l. Ciuitas. Si cert. pet.

Ex quibus planè concludi potest, contra humanæ cognitionis rationem illam legem esse, quæ de homine occiso, maxime ob id quod alienigena est, capitali abrogata pœna, pecuniariam imponit, & ideo inualidam esse. Confert illud Baldi dicentis, Mundum communem patriam esse, & ideo exteros inquilinos de ciuitate eijci non posse, quoniam eijcere, inquit, & interdiceret est pœna, quæ sine causa imponi non potest. Hinc coniector nec quenquam urbe Roma, ut communi patria prohiberi posse: qui interdictus est sua patria, etiam urbe interdictum esse: Vlpianus de inter. & releg. constitutum meminit in l. relegatorum. Hinc item efficitur neminem Romæ exulare posse, nec relegari, & hodie scelera ubique admissa, Romæ uindicari publice uidemus.

Cicero i. de oratore.

LEX TIPHERNI.

Re furtiua publice & bona fide in mercato empta, uendicandi ius domino nõ sit, nisi restituito emptori pretio.

Duos boues ex agro Aretino abactos, & Tipherni in nundinis bona fide emptos, dominus uendicat.

Quæstionis est, utrum ualeat statutum.

Gandinus hinc inde recitat argumenta, refertque Dini & Martini uicisse sententiam, existimantium dominum uendicantem non obligari refundere pretium, eo quod in detrimentum eorum, qui non suæ ditionis sunt, uanæ sunt leges. Sentire ergo uidentur, seruandum statutum inter homines duntaxat constituentis populi. Non multo dissimilem cautelam, seu, ut arbitror, cauillationem docet Bartholomæus Veronensis: Emptorem rei, quam timet uenditoris non esse, uti emendo publice contestetur se domini nomine emere, paratumque rem restituere, quam primum pretium retro sibi dabitur, sicque intrepide emat, inquit, siue furtiua sit res, siue ui rapta, siue præda, ne cogatur domino restituere ante persolutum pretium, fretus Hostiensis autoritate, qui rem prædæ dixit emi secure sub contestatione præscripta. Mihi autem persuadeo, & statutum, & Veronensis consilium omnino detestabile, inualidum, ea in primis ratione, quod inuitat homines ad furandum. Nam qua ratione receptatores publice odiosi sunt, eadem profecto huiusmodi emptores legibus infensi esse debent, ab utrisque enim latrones & fures animantur. Plus enim ad latrocinia impelluntur paratis ex uenditione pecunijs, quàm receptatorum latebris. Consilium profecto Hostien. pertinet ad res redimendas ab hostibus, & à Barbaris, quibus cum ius postliminij est, & captiuos faciendi, & ab iisdem capta redimendi, & in causam pignoris retinendi,

Argu. l. conuenitur. de pac. dot. et l. i. ad Maced.

l. postliminijs. in pace. de capti.

C donec exolutum precium reddatur; neque uideo leges de redemptis ullam protectionem requirere. At in casu nostro, de rebus furtiuis, & ui raptis agitur, quæ damno publico & dominorum emerentur, exemploque inciuili ad latrocinia nutrienda. Ineptissimaque ea cautio uidetur, ut ematur domini nomine, quasi dominus rei suæ emptor fieri possit.

mulier. et l. in bello. §. si ser. et. §. de portatu. de capt. et l. ab hosti. redē. et l. si. C. co. dem. ti. Argu. l. in ciuilem. C. de furt.

MARII SALOMONII EQ. ADVOCATI QVE
CONS. IN L. OMNES POPVLI,
COMMENT. LIB. II.



VPEREST de interpretatione loquamur, de qua uaria & numerosa distinctionum serie tractatum inuenio. Verum à doctoribus nostris nuda ingenij ui in reconditos usque sensus penetratū uideo, & quod affectu non sunt, non ipsis est imputandum, sed Romanis calamitatibus, per quas bonæ artes unā cum imperio penitus ceciderunt. At quia tua ope & opera Beatissime Pater CLEMENS Pont. Max. è tenebris in lucem prodire cœperunt, non dedignemur quæ in Pandectis desiderantur, aliunde mutuari. Quæ si Iustinianus, siue Tribunianus, integris Iuriconsultorū libris, passi fuissent ad nos uenire, alienas chartas reuoluere non cogemur. Non reprehensibile igitur futurum arbitror, si ueterū Iuriconsultorum traditiones sequar, Cicerone, Seneca, Pediano, Quintiliano, Consulo Fortuniano, & alijs multis autoribus, & eo libentius, quod cum nostratū dictis conuenire uisa sunt, si sine inuidia conferantur. Audacter itaque aggrediar, tuo numine adiutus, & ab illo uulgatissimo auspicator.

D Vtrum in statutis à propria significatione recedere liceat. Quia stricti iuris sunt, dicunt. Quid inder? an in his quæ latioris iuris sunt, cuique liberū est, in quam significationem uerba uelit effundere, & in his, quæ angustioris sunt iuris, à proprietate recedere non ualeat? Quid si autor statutarius improprie loquatur, an inutilis erit constitutio? An lector proprie interpretabitur? unde alia exoritur inuestigatio: Num in aliam significationem uerba exaudiri queant, quam sentiat qui loquitur? Quæ & in illam recidunt, an mens, an uerba spectanda sint: Si uerba, profecto uoluntatis paruifacienda est ratio; sin uoluntas custodienda est, uoluntati uerba ancillentur oportet.

Preterea periculosum est, uocabulorum subtilitates in statutis sequi. Ro. consilio iij. refert, teste experientia, maiorem partem populi condentis statuta uulgum imperitū esse, & propterea imperite intelligenda. Quod Caccialupus præceptor meus hic probat. Porro statuta & stipulationes in manu eorum uidemus esse, quorum pars potior tabellionatum exercent, homines latinarum uocum ignari, à quibus stultum est uocabulorum proprietates exigere. Marcellus Iureconsultus: Ab his qui abusiue plerumque loquuntur, & non proprijs uocabulis semper utuntur, desiderari non debet uerborū proprietates. Unde palam fit, uerba proprie intelligenda, nisi loquentis persona diuersum suadeat. Suadet autem loquentis uel imperitia, uel consuetudo uocabulis abutendi. Quod contradicit Bartolo, existimanti notariorum uerba secundū ius intelligenda, ad differentiam idiotæ. Ius enim exigat, nihil non suo uocabulo dici, quod notariorum imperitia præstare non potest. Accedit his Accursianū illud: Non omnes sciunt dicere, hæredē instituo. Ex quo Alex. colligit, non omnes scire uti uerbis proprijs. Cinus monet crassi hominis uerba, crasse intelligenda: quod Bald. ubique commendat. Idem de uerbis idiotæ Accursius & doctores tradunt. Ioan. Cald. consilio iij. iij. & Alexander consi. xliij. libro ultimo, responderunt à iuris sapientibus leges conditas,

In l. non aliter. de leg. iij. In l. si quis filius. de test. tut. In l. labeo. de sup. leg. In d. l. si quis filius. In l. si cum ante nup. In l. mancipia. C. de ser. fug. et in c. i. de feud. succ.

A ditas, ex iuris peritia accipiendas. Ro. uero ex communi uulgi usu, consi. iij. At impossibile hoc esse Cicero pro A. Cecinna docet, his uerbis: Quæ lex, quod Sen. cons. quod magistratus edictū, quod foedus, aut pactio, quod (ut ad priuatas res redeam) testamentum, quæ iudicia aut stipulationes, aut pacti, & conuentioni formula, non infirmari aut conuelli potest, si ad uerba rem flectere uelimus? Consilium autem eorum qui scripserunt, & rationem & autoritatem relinquamus. Sermo Hercule & quotidianus, & familiaris non cohærebit, si uerba inter nos aucupabimur. Denique imperium domesticum nullum erit, si seruilis hoc nobis concesserimus, ut ad uerba nobis obediunt, non ad id quod ex uerbis intelligi potest. Hæc Cicero. In has difficultatum angustias scripta statuentium & stipulantium cautiones à curiosis detruduntur, ipsi uero nihil forte rarius, quam proprijs uocabulis loquuntur: sanè improbum uidetur in aliena pagina exquirere quod ipsi loquendo negligimus, aut præstare nequimus.

At si non pertinaces esse uolumus, non in statutis solum, uerum etiam in omni scripto dictoque, siue stricti, siue lati sit iuris, uerborū proprietates custodienda est, modo aliud non impediatur, quod ex ipsismet legibus quibus nituntur, liquet. Loquuntur enim leges illæ de ultimis uoluntatibus, quæ latissimæ sunt interpretationis, & tamen ab huiusmodi obseruatione non sunt immunes. Nec facile mihi suaderi potest statuta stricti iuris esse plus cæteris positijs legibus, ut ex Digestorū lectione licet inspicere. Experimur enim in his, ut in cæteris, ex natura rei de qua agitur, interpretationes uariari: siquidem fauore digna res, de qua statutū loquitur, pinguius interpretari obtinuit; sin minus, angustius. Quæ autem fauorabiles, quæ uel odiosæ constitutiones sint, omnium confessione à legis ratione reuocemur. Particularius Bal. dixit illas fauorabiles esse quæ damna submouet, quæque cõmunitati profunt: contraque quæ damnum important odiosas, etiam si lucrum uni deferant cū alterius detrimento, & in summa odiosum definit, quicquid est contra rationem naturalem. Plus Baldus scribit, in dubio omnem legem fauorabilem existimari. Hinc quidem de multis quæstionibus statutarijs disceptatio.

Bal. et recē. in l. non dubiū. C. de u. Matthe. Syl. not. consi. Anchar. in rep. c. canonū stat.

STATVTVM.

Superstitibus filijs masculis filia non succedant. Idem Bal. fauore familiae censuit, etiam nepotes ex filijs amitas exclusuros. STATVTVM

Rector deleget causas appellationū à definitiuis. Castren. respondit, fauore publico Rector causas appellantium etiam ab iuterlocutoribus delegabit. Felinus probat in cap. translato. de const. in fi. STATVTVM.

Dotata à patre non succedat. Pater filia impuberi dotem reliquit. Bart. putat dotatam, hocque iure utimur, licet ante matrimonium dos non sit, largissime accipitur statutum, & improprie filiabus odiosum, familiae fauorabile: de quo latissime Bald. in l. non sine. C. de bo. q. lib. Similiter statuta de causis per arbitros iudicandis largissime interpretari receptum est.

In l. Titio censum. de con. et demon.

Aduerte tamen, hæc doctorum exempla magis ad interpretationem rationalem, quam nostri extensiuam dicunt, pertinere, quam ad improprietatem uocabulorum, ut infra demonstrabo. Plus Accursius censuit, & non dicta, & non cogitata, quod plus est quādoque in statutis uenire. uerbi gratia: si casus accadat de quo legislator, si cogitasset credibile est, statuisset; pro statuto sit, quod omnes cõmendant, hocque iure utimur, & propterea quicquid boni & æqui ratio suadet, pro dicto sit. Dinus consi. iij. scribit large statuta interpretanda uti quæstionem controuersam decident. Caccialupus hic addit, ut omnino aliquid noui iuris inducant supra ius cõmune. Planum ergo uidetur, uerborū interpretationis statuta esse que uulgò creditur. Nec refert statuta sic accipienda, ut perque minimū à cõmuni iure recedant, quoniam ista ratione non diuersum est de cõmuni Romanorū iure desi-

Glo. in l. tale pactum. §. si. de pact.

C niendū. Quod non per omnia iuri naturali seruit. Ius itaq; positū est, & idcirco pauloante dixi, Statuta non plus ceteris positū legibus, stricti iuris esse, & uerius est, ad suam causam propter quam facta sunt redigenda, & secundū illam coarctari, distendiq; oportere, æquitate magistra. Nam ex regionū qualitate, loco rum situ, agrorum ubertate, aëris temperie, morum diuersitate, uariari leges naturalissimum est, quæ opportunitatibus populorum seruiant, quibus per ius cōmune eodem modo omnibus satisfieri natura non patitur. Non nego laborandum, quantum fieri potest, ut cum iure cōmuni naturali, quod semper bonum et æquū est, conueniat, ab eo dirigatur, interpretationemq; recipiat: & hoc est stricte interpretari. Concludi itaque audacter potest, illam opinionem, quod statuta stricti sunt iuris, aut non simpliciter ueram, aut minimum ualere, ad cohibendam statutorum potestatem, necnon uerborū proprietates æque in omnibus atq; statutis obseruandas. Postremo à proprietate recedi imperio uolūtatis. Marcellus de leg. iij. Non aliter à uerborū significatione recedi oportet, quam cum manifestū sit, aliud sensisse testatorem. Vlpianus: In conditionibus primum locum uoluntatis efficit, cæq; conditiones regit. Et nulli dubiū est conditiones esse stricti iuris. Quinimo contra legem facere illum Diui Theodo. & Valentinianus rescripserunt, qui uerba & non legis mentem amplectitur. Celsus nescire leges eum tradidit, qui uerba tantum tenet: & candidus Vlpianus quicquid ex mente legis est, id idem esse ex uerbis definit. Nec dicat aliquis aliud in legibus, aliud in statutis, quasi statuta leges non sint, explosa iam pridem illorum sententia qui discrepare male putauerunt, de quo suo loco fusius dicetur.

D Præterea Bartolus, Baldus hic & ubiq; ac doctores omnes scribunt, Statutorum uerba ad unguem seruanda, quando mens non repugnat. Plus & sapienter quidē Angelus consi. cclxxx. respondit nō sēdē medijs, & statuentiū & testatorū uolūtates cōiecturādas, q̄ Iason summe et merito cōmendat. Sentit ergo Angelus paris fauoris & interpretationis esse etiā cōiecturata, & statuta, & testamenta.

MARII SALOMONII EQ. ADVOCATI QVE
CONS. IN L. OMNES POPVLI,
COMMENT. LIB. III.

BARTOLVS omnē de interpretatione tractatū in quatuor species diduxit, scilicet correctoriā, restrictiuam, declaratoriam, & extensiuam. Hæc ultima legē non interpretatur, sed extrinsecus prouenit, argumentum ducens ab ea re, quam legi uolumus accommodare, uel similitudine, uel ratiōis identitate: quod græci non ab re Syllogismū uocant, Quintilianus status ratiocinatiui, Fortunatianus collectiui, in quo ars iuriscōsulti dominatur. Non enim parū artificij est iungere casus nō dictos, dictis, atq; etiam non cogitatos interdum, sed tanti est, quanti est Iuriscōsultū esse, de quo supra in tractatu de bono & æquo differuimus, & plenius infra lib. vi.

Primam, quam correctoriam appellat, durum est inter interpretationum species numerari. Bald. eleganter tradidit interpretationis esse, declarare, non perimere. Sed nulli dubium, cum qui corrigit, perimere. Ergo correctio, interpretatio sit, est impossibile. His consonant quæstiones quas Bart. & doctores huic generi subiiciunt, quæ ad tractatum legum contrariarum spectant. De quibus aptius Cicero & Quintilianus titulum de contrarijs legibus conscripserunt, ut suo loco dicetur.

Restrictiuam & declaratiuam Bartolus in alias multas subsecuit. Sali. improbat, aliq; & longa distinctiōe utitur; nos autem quid inter utranq; sit, uideamus. Quippe

Stricte interpretari.

In l. nominis et rei. de uer. sig.

In l. testandi. C. de testa. et in l. seruo legato. §. si testator. de lega. i.

In l. si de interpretatione. de li.

A Quippe restrictiuam uoluntatem sequitur, declaratiua scriptum; restrictiuam ex uerbis uoluntatem elicit: declaratiua sono uerborum contenta est, id est, quod illa pro uerbis sensum reddit. Hæc pro uerbo uerbum, quod grammaticorū est proprium, quam appositissime Baldus literalem & grammaticalem appellat: illam speculatiuam, ciuilem, quæ integra Iuriscōsultorum est.

In l. labco. de sup. leg.

Quærere itaq; de restrictiuam, & declaratiuam, non aliud est quam de scripto, siue uerbis, & mēte quærere: cōmodius ergo maiores nostri summā QQ. legalitū fecerūt scripti & uolūtatis. Percurre omnes annotatos à Bar. & doctorib. casus, inuenies adhæc duo quasi primigenia sua reduci: quæ ad eō inter se coherere, colligataq; esse experimur, q̄d inseparabilia esse credideris. Nā uerba nō ob aliud inuenta esse Q. Tubero disserebat, nisi ut demonstrarent uoluntatem dicentis. Quæ per se nil aliud sunt, quam sonus quidam ueluti tinniens tympanū, uox mortua & ridicula, nisi spiritu uolūtatis animentur: quod in infantibus, mente captis & furiosis palpamus; loquūtur quidem, & nihil utiq; dicunt. Loquuntur etiam phittaci, picæ, corui: domi quandoq; habui sturnos & cardueles loquacissimos.

Præterea, nullum uerbum est quod non possit plura significare. Propter quod Chrysippus Stoicorum princeps omne uerbum ambiguum esse defendebat. Et qui ambiguum loquitur, unum dicere Paulus in rebus dubijs definit. Si unum dicit, proculdubio qui illud unum declarat, non restringit, sed id duntaxat quod dictum est, explicat.

Statuta ad literam intelligantur.

Quæ uis horum uerborum? Quidam putant enarrationem à mente legis inhibitam. Mihi uero neq; uerbis id exprimi, neq; sententia contineri persuadeo. Ea enim uerba non alium significatum habere uidentur, nisi quod uerbis siue literalis, ut Bald. inquit, & grammaticalis sensus admittatur, quod non est excludere uoluntatem, non enim ad eō intente pugnant literalis, & qui à mente est intellectus, quod uno posito alter cedat, aut submoto altero alter recurat (subdistinguitur eorum ea utiq; uis est) uti qui diem dicit, noctem excludit; quisquis ambulat non cubat, si sedet non ambulat, quinimo ad eō cognata amicaq; sunt hæc duo, ut unū sine altero, aut uix aut nullo pacto possit cōsistere; uox etenim sine uolūtate quid sit iamā diximus. Celsus ait. Scire leges non est uerba earū tenere, & ubiq; cautū legitur uerba à mēte nō seiungēda. Nam qui uerba amplexanda, & mentē negligendā dicunt, cauillū dicunt, immo absurdū & iniquū si inde consequatur.

Cle. exiui. de para. §. Quia. de uer. signi. l. hæc uerba ille. de uer. sig.

Quod neq; ex sententia eiusdem cōstitutionis inhibeantur à mente duci interpretationes, per se liquet. Dissident medijsfidius inter se ista, per eum modum quid cautū existimare, per quem fieri eadem lex prohibet. Quomodo potest legislator coniecturata uoluntate quid statuere, si coniecturata uoluntate isto rum iudicio uetat recipi? Quod autem interpretationem legum inhiberi non ualeant, & qua ratione, atq; alia ad hanc quæstionem pertinentia, fusius dicam in l. ij. §. his. ll. de orig. iu. ubi suus locus esse intelligo, tamen eam significationem habere, ut stricte, id est, proprie accipiantur, ut mox dicemus.

Statuta ex bona fide intelligantur. Eum sensum habere arbitror hæc uerba, ut ex bono & æquo capiant interpretationē latissimam, & inter ea quæ bonæ fidei sunt, adnumerentur. Similiter si lex dicat, pacta, cōuenta, ac stipulationes ex bona fide seruentur. Moueor illis uerbis XII. tabularū: Inter bonos bene agier oportet. et illis: Formulæ stipulatoriæ, uti ne propter te, fidē ne tuā captus, fraudatus ue sim. Q. Scauola Pont. Max. summam uim esse dicebat in omnibus his, in quibus ageretur ex bona fide, fideiq; bonæ nomē existimabat manare latissime. Hæc Cic. in. offi. & in epistola ad Trebatium Iureconsultum lib. vij. epistolarum. Cōfirmo eleganti consilio Bald. quod incipit, Rex Romanorum, in quo scribit pactum de bona fide seruanda. Item si lege, aut conuentione actū est, ut contractus

C ex bono, sano & puro intellectu, & bona fide accipiuntur, ut solet in pactis foederum adijci, tum omnes contractus sic conceptos bonae fidei esse. Plus sentio, uerbum fidei simpliciter prolatum semper pro bo. fide & in benigniorem partem accipiendum, siue in statutis, siue in stipulationibus exprimat; mouet me grauius senatus iudicium. Nam cum Falisci a Q. Luctatio consule obsidione cingerentur, coacti fuerunt deditioem facere; & quia in deditiois formula scriptum erat, Faliscos fidei P. R. se commisisse, & non scriptum potestati, senatus censuit bo. fidei conuenire, ut cum eis placide ageretur, quamuis ob eorum perfidiam & iteratas rebelliones male animatus P. R. in eos arma mouisset. Nota iudicio senatus haud paruum differentiam inter illa uerba, fidei tuae me committo, & illa, potestati tuae me committo, maxime quando in deditioem uel foederum aut pacis conditionibus exprimitur. Neque diuersum sensum habere arbitror illa quae in usu uulgaris sunt, suae deditiois me dedo, quod nihil hostiliter in eos qui sic se dediderint, fieri queat, sed humane comiterque tractari oportere; boni uiri arbitratu, qui secus fecerit, contra pacta deditiois facere. Potestatis autem uerbum latius patere, & ex diuerso si lege uel placito conuenit, ut ex scriptione sola intelligantur, inter eos quod stricti iuris sunt habendos, quod Caccialupus praceptor meus hic commendat, & inter profitendum summe extollere solebat.

Redeamus ad Bar. distinctiones. & in primis non sufficere credidit a ratione quae mouit statuentes ducendam interpretationem, nisi instet aequitas declinandam, citat l. adigere. §. quamuis, de iure patro. Quod ad uulgatissimam illam statuti Bononien. quaestionem adducit.

D Sanguinolentos in Palatio ictus capite puniendos. Et refert diu multumque disputatum an ad Chirurgicos pertineret, & uix uicisse ut non pertineret, ea ratione ne iniuste damnum paterentur. Quae damni ratio quousque uera sit, subsisto. Alioquin non audiretur is, cuius culpa alius mala fide praescripsit. Non utique ad damna, neque lucra prospexit legislator, qui bonos ciues fieri, malefacta puniendo uoluit, & pro maleficio non beneficio poenas irrogari, quae sic solida est ratio uoluntatis, ut illa damnorum & lucrorum fallax esse potest.

Putauit etiam Bartolus eandem legem Bononiae indistincte seruandam, si lucro etiam iusto multaret, fretus lege Prospexit. Quod praepetori meo, & iure quidem non placet, ne qui in culpa non est, lucris damno afficiatur.

Duriciem l. prospexit, ideo ferendam Vlpianus ait, quod ita scripta lex esset. Adde quod haud magni detrimenti ea duricies est dilatae libertatis in angustiissimum (ut Sex. Caecilij uerbo utar) lxx. dierum spatium. Non enim amittitur (ut dixit Bart.) sed differtur libertas bono publico adulteria conquirendi. Porro detruncata legum ueterum statum monumenta quae ad nos peruenerunt, illius legis quae causa fuerit, docere non possunt. Si non omnium (Vlpianus ait) quae a maioribus nostris constituta sunt, certa ratio reddi potest, quid in hoc torquemur, & ad consequentias caeci trahere conamur; quamuis credibile sit, non nisi exigentibus illius temporis moribus, sic statutum fuisse, & propter hoc si dura est, non sequitur iniusta lex sit.

Subijcitque hic idem Bar. Ideo in l. ut gradatim, minus idoneos non recipi ad honores, ne indigne lucrentur, Parcat quaso uir tantus, non lucris, sed publica causa est. Etenim Reipub. haud parum interest, ne non idonei ad magistratus deligantur. Ius publicum in sacris sacerdotibus & magistratibus consistere, Vlpianus tradidit. Nec fallit, ut idem credidit in casu. §. utrum. l. si quis in graui ad S. C. Syll. quoniam ibi non agitur de honoribus deferendis. Tuo nutu & autoritate, B. P. CLEMENS, nefas non erit minimeque temerarium, tentare num commo dius aliter de statutaria interpretatione agi possit. Quod spero, praepositis his regulis, quibus solis omnis interpretandi ratio continetur.

Prima

c. statutum. de rescr. in. vi. in nouella significat arbitrium bo. uiri. Ant. et Imo. i. c. i. de constit. glo. in c. cum uirum. de regul. iur. Abbas in c. cum autem. de iur. pat. Feli. in d. c. i. col. xxx.

l. non omnium. de legib.

l. ut gradatim. §. de mun. et ho.

A Prima regula, quod in omni scripto ac dicto semper in dubijs a proprietate uerborum est ducenda interpretatio. Dubium est, quoties non constat de uoluntate loquentis; ubi autem uoluntas manifesta est, custodienda est, uocabulorum proprietate reiecta. Quae definitio locum habet, quando pugna est de proprio & improprio significato, non autem quando de inepto, & penitus alieno, puta si uestem dixerit quispiam pro suppellectili; quo casu mens & uerba sese inuicem perimunt. Impropria autem locutio non uitiat, quamuis imperitiam detegat, & ideo uoluntas sola dominatur, siue sit expressa, siue coniecturata. Nam coniectura uoluntas, pro expressa est, propter quod manifesta, euidentis, a Iureconsultis dici solet. Coniectura autem uoluntatis est a congruo, iusto, honesto, utili, ualido, possibili, id est, ab omni eo quod uitio caret. Ex hoc enim uoluntatem colligit Celsus dixit. Nemo quidem existimandus est uelle absurdum aut iniquum, turpe, damnosum, superfluum, inualidum, impossibile, quibus contraria appetere, naturale est. Item optima uoluntatis coniectura est a causa et subiecta materia; a causa propter quam sic constitutum fuit, facile percipitur quae fuerit legislatoris mens. A subiecta materia plane elicitur, quorsum autoris tendat uoluntas. Et haec species immensum habet tractatum, in qua interpretatio ita ducenda est, ut res de qua agitur, & scriptoris uoluntas inter se per omnia congruant. Illa utique uera apparet uoluntas, quae ipsi rei aptior est.

Secunda regula, quod uerba simpliciter prolata, accipienda sunt in potiori significato. Colligo ex uerbis Marcelli dicentis, non aliter a uerborum significatione recedi oportet; uerbum significationis intelligitur de propria, quia potior est. Item dominium simpliciter dictum intelligimus directum; & filij uox legitimum & naturalem significat. l. de his q. s. sui uel alie. iuris. Plus bellissime Socinus filius adiecit, uerbum indifferens ad genus & speciem significans, ut est adoptio simpliciter dicta, intelligitur de ea quae arrogationi opponitur, id est, specie.

Tertia, quod uerba clara & aperta, quae certam exprimunt uoluntatem, quaestionem uoluntatis non admittunt; in uerbis uero apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem lumen mortale inferre. Paul. Cum in uerbis nulla est ambiguitas, uoluntatis quaestio non est admittenda, ut hac cotrouersia: Pater instituto filio, si sine filijs decederet, filiam quae tunc foret uidua, substituit; mortuo sine liberis instituto, filia una uidua, et altera quae tunc nupta erat, postea facta uidua, de haereditate contendebant. Altera quia tunc uidua; altera in casum uiduitatis sibi deberi asserbat; nec uerisimile in statu uiduitatis, unam plus altera patrem dilexisse, Castren. respondit: Licet prudenter pater sic fecisset, tamen in cotrarium aperta sunt uerba, quibus contrari non licet. & secundum se Venetij iudicatum gloriatur.

L E X. Superstitibus masculis, filiae non succedant.

Pater instituit filios & filias. Ancha, putauit filias uocatas post masculos non superstitibus; uerisimilius dicebat testatorem a legis statuto recedere noluisse. Socinus filius per hanc regulam reprehendit, quia talis interpretatio esset contra aperta testatoris uerba. Per hanc regulam semper mihi uisum est respondum Ancharani uerisimilium, existimantis liberos in illa conditione si sine liberis positos, etiam uideri institutos ex sententia Scauolae hoc definitis uerbis apertissimis; scripsit enim prudens testantis consilium fuisse, qui fratrem instituit, & si decederet sine liberis alios substituit, quod non fratrem solum, inquit, praetulit substitutis, sed etiam eius liberos. Proculdubio illic quaesitum fuit, utrum liberi ex iudicio testatoris succederent. Non enim dubitari poterat, quin defecta conditione substitutis locus non esset, sed an liberi in conditione positi intelligerentur instituti. & ideo respondit Scauola, prudens testantis consilium, si ex consilio testantis, quo non legis beneficio succedunt, uerbum praetulit, patrem & liberos pariter respicit, & aequatos ostendit, ut praecedant

l. i. §. si is qui nauem. de exere. et l. non aliter. de leg. iij.

l. iij. de leg. i. l. labeo. de sup. lega. l. in ambiguo. de rebus dubijs.

in l. in ambig. de leg.

l. si. de her. isti. l. quotiens idem sermo. de regul. iur. et l. si uno locati.

l. ille aut ille. §. si. de leg. i.

in l. in his. de co. et demonst.

C substitutos. Prælati pater, quia institutus; similiter prælati eius liberi, quia instituti. Nam ab intestato succedentes non possunt dici à testatore prælati, sed à lege hæreditatem deferente. Neq; tacite prælati, ut Azo sentit, qui expressis uerbis sunt prælati. Cum ergo uerba Sceuolæ sint clara et aperta, nec quicq; communis opinio in contrarium ualet, quia aperta legis uerba demonstrant necessariò: opinio autem opinatur, & suadet, & ideo plerunq; fallax: de qua latissime in .s. responsa prudentum differuimus. Multas alias fortissimas rationes addunt Ancharanus in consilio lxxiiij. quod pulcherrimum est. Verum hæc regula sale æquitatis interdum condienda est, ut in illo statuto Saliceti: Quouis modo, uel causa, uel qualitercunq; quis occidat, capite puniatur. Qui se defendendo occidit, accusatur. Sali. putat teneri, & eum qui non dolo, & eum qui pro tutela sui corporis occidit. Clara & aperta sunt uerba, inquit, distinctione non recipientia. Præceptor meus, ut uitiosum intellectum reijcit, & utiq; explorati iuris est, nulla lege defensionem interdici posse. De quo supra in l. ut uim, uberrime differuimus.

LEX. Homicida relegetur.

Tres occiderunt, unus dolo, alius lata culpa, alius culpa leuissima.

Quæstionis est, Num omnes eadem pœna teneat? Scriptum est apertum, & quicq; homicida est. Si illa, occidens occidatur, non tenetur qui non dolo occidit, cur non hic similiter? Distinguendum, uel quod dolo occidens hac lege non tenetur, sed Cornelia; uel si dolosum teneat, non similiter culposum puniat; nec æque illos, qui non eadem in culpa sunt. Porro pœna delicto æquanda est.

in l. data ope-
ra. C. qui ac-
cus. et in l. i. de
Iur. tri.

Bal. Modus culpæ, modus pœnæ præscribit. Et ideo iniquissimum uidetur, tam qui leuius quàm qui grauius delinquent, pari pœna afficiantur: quid statuendū sit, nondum didici, repetendæ tamen semper sunt infra scriptæ regulæ quarta & quinta, ut uitio caritura sit interpretatio, necq; uerisimile legislatorē pœna æquale se quos impares culpa fecit: & ratio naturalis non æquat. Et propterea de eo solum legislatorem sensisse. Fortassis non male arbitrabitur, qui lata culpa occidit, postq; de eo certa non legitur cōstituta pœna, ceteri lege cōmuni. Confert illud fratris Gerardi seu Ioannis And. in regula possessor, pulchre dictum: Ius cōmune delicta coërceri uult: Iuris autem ciuile esse pro qualitate delictorum pœnas taxare, distinguere. Nunquid lege induci ualeat, æque grauias atq; leuia delicta uindictari? Stoicorum profecto isto modo ab inferis reuocaretur rigiditas, qui paria omnia delicta esse defendebant; & peccare non aliud esse, quàm transilire lineas, quas ubi transilieris, non refert quousq; progrediari. Sed hæc pertinent ad illud Iacobi Apostoli: Qui in uno peccauerit, omnium factus est reus, at æquari pœnæ non alia ratione poterunt, nisi uel grauiorum delictorum minuantur, uel leuium augeantur. Primum quidem absurdum, & reipub. noxium, atrocias uti leuiter puniri. Secundum perquam iniquissimum, si leuia grauius quàm par est, plectantur, & propterea minime recipienda lex est.

e. erit. iij. dist.

Vitiosa inter-
pretatio.

Quarta, quod omnis uitiosa interpretatio reijcienda semper est: uitio autem inficitur, si consequatur absurdum, aut iniquū, aut turpe, Reip. priuatio ue cuiq; noxium sine causa, natura, legibus ue impossibile, bonis moribus aduersum, à ratione & causa constitutionis alienū, & quando per eam efficitur, ut uerba in oratione frustra sint posita, aut uocabulorum immutatio latine sermonis deprauatio, aut ipsa inutilis redditur constitutio, aut rei de qua agitur inepra repugnans. His autē contraria iusta faciunt interpretamenta, & autoris uoluntatem arguunt. Nam ad legem ferendam ea ratione motus creditur legislator, qua moueretur circumspectus & sapiens uir, à legibus uitiosus semper reijciendus est intellectus.

Statutū. Qui rapuerit mulierē, capite puniatur; quidā de lupanari rapuit uxore alterius, accusatur, certe lege non tenetur, & aliās intellectus uitiosus est, & ideo non reci-

A non recipiendus Bald. in l. in ambigua. Idē Bald. Hic uerba, inquit, absolute pro lata debet restringi ad id quod est possibile natura, facto, iure, & bonis moribus. Quinta, quod in omnibus enarrationibus semper auriga et dux sit ratio naturalis & æquitas, à quibus quicquid dissidet, iniquum sit, est necesse, & à legislatoris uoluntate alienum, ut supra de iustitia & iure, de bono & æquo planum fecimus: & Bald. hic & ubiq; admonet. Cate Ancharanus in cap. Canonum statuta, scribit: Si in lege non est scripta ratio, debet nihilominus subintelligi naturalis et uerisimilis: sicut enim se habet anima ad corpus, inquit, ita se habet ratio ad legem, possitq; per eandem rationem causarum cōtrouersias disceptari. Soci. filius: Quantumcunq; lex loquatur præcise, debet recipere interpretationem à regula iuris fundata in ratione naturali, in l. si is legatum, de condi. & demonst. Et admouendi sumus rationem legis semper à fine trahendam. Iuris canonici duplex finis, scilicet bonū animæ, & bonū ecclesiasticæ reipub. Iuris autem ciuile, recta reip. gubernatio, ut in proemio institutionum. Cicero lib. pri. ad Herennium omnes leges ad commodum reipub. referri oportet, & eas ex utilitate communi & non ex descriptione, quæ in literis est interpretari: ea enim uirtute & sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud nisi salutem, & reip. utilitatem præponerent. hæc Cicero. Aquinas: Lex proprie & principaliter respicit ordinationem ad bo. commune, prima ij. q. xc. ar. iij.

l. cum ratio. de
bo. dā c. Ratio.
de præb. et Pa
nor. ibidem.
Bald. et doct. in
l. non omnium
de ll.

MARII SALOMONII EQ. ADVOCATI QVE
CONS. IN L. OMNES POPVLI,
COMMENT. LIB. IIII.

His documentis, Beatissime Pater, nulli non explorata perspectaq; uoluntas legum, uel testamentorum, atq; contrahentium; & ipsius etiam met scripti uis esse poterit, & ut nihil desideretur, iam ad particularia accedamus. Qui interpretari statuta uult, sine uerborum & mentis perspicillatione nihil agit. Merito ante omnia discutiatur scripti & uoluntatis appellatione quid contineatur, & quotuplex sit, per opportunas interserendo quæstiones. Scriptum Quintil. refert, non de legibus solum intelligi, uerum etiam de testamentis, pactis, stipulationibus, & omni deniq; scripto ac uoce. Scriptum, aut apertum, aut obscurum, aut ambiguum est; uoluntas aut expressa, aut tacita, aut omnino incerta, siue incognita.

Glos. in l. nepos
proculo. de
uerb. signi.

Apertum, quod planum, & liquidum est. Obscurum, quod uix, aut nullo modo intelligitur. Exemplis iam oratorum, & ueterum & nouellorum Iurisconsultorum patefaciamus, sine quibus omnis de hac re traditio obscura est.

Apertū unā quæstionē habet, quæ est status definitiui, id est, cum ex definitiōe uerbi, quod in lege est, cōtrouersia dirimitur. Fortunatianus tali utitur exemplo:

LEX RHODIA. Qui nauem in periculo positam rexerit, eius sit cū onere. Qui nauem reliquerit, is nauem & onus amittat. Orta tempestate gubernator in scaphā trāsiliit, et funibus quoad potuit, naui opitulatus est: Mercator in clauum incubuit, nec potuit mori. Naufragus ad gubernaculū rediit, sed data tempestate de nauī & onere cōtendunt. Quaritur quid sit nauim regere, & quid relinquere. Simile est exemplū nostratium: LEX. Dotata à fratre non succedat. Frater dedit dotē de bonis ipsiusmet sororis, litigant de successiōe. Quæstio est, an hoc sit dotare? Bald. respondit, uerbū dotare ius significat, non actū nudi ministerij. Anchar. & Caccialupus probant. LEX. Inter consanguineos arbitri cognoscant, spurius petit arbitros, negatur consanguineus. Caccialupus hic refert uarie responsum.

C De obscuro. Fortunatianus libro primo rhetorices scholasticæ: Legato disce hares offert uitreum, legatarius petit argenteum. Huic simile est in Digestis no-
 In l. i. de Re. ftris: Legato fundo Seiano, cum Seiani duo in hereditate essent, hares offert ui-
 dub. et l. apud liorem, legatarius preciosorem petit. Item Fortunatianus: Amicus meus hares
 Iulia. §. si. de esto Milefi, Lesius & Milesius pariter testatoris amici de hereditate cõtendunt.
 leg. i. Obscuritas nascitur ex dictione Milefi, Duo sunt Titij, pater & filius: Testator
 in l. Duo. de Titium tutorem scripsit, nec apparet qui datus esset. Lego Sempronio amico
 test. tut. meo, Duo Sempronij sunt æqua charitate coniuncti. Quintilianus: Cum in lege
 in l. si fuerit. de aliqua obscuritas est, in ea aut uterq; suam interpretationem confirmat, aut ad-
 reb. dub. uersarij subuertit, ut hic,

Fur quadruplum soluat. Duo surripuerunt pariter decem milia, petuntur ab
 utroq; quadrupla: Illi postulant ut uicena conferantur. Nam & actor dicit hoc
 esse quadruplum quod petit, rei & hoc quod offerunt. Voluntas quoq; utriusq;
 defenditur, aut cum de altero intelligitur, aut de altero dubium est. uerbi gratia:
L E X. Ex meretrice natus ne concionetur. Quæ filium habebat proflare cõ-
 pit, prohibetur adolescens concione: Nam de eius filio quæ ante partum mere-
 trix fuit, certum est. An eadem huius causa sit, dubium est, quia ex hac natus &
 hæc meretrix est. Ambiguum idem Quintil. de amphibologia duas res significa-
 re scribit, & ideo Paul. de rebus dubijs ait: In ambiguo sermone non utriusq; di-
 cimus, sed id duntaxat quod uolumus. Vnde colligitur, qui ambiguum loquitur
 tur unum dicere, & id solum quod sentit, quamuis ambiguum plura significet: un-
 de est regula, quod in ambiguis eius qui scripsit, sententiam spectemus. At Con-
 sultus inter ambiguum & obscurum illud interesse docet, quod in ambiguo plu-
 ra se ostendunt, quorum quid potius accipiendum sit, ignoratur: in obscuro autem
D tem, aut nihil aut parum quid attendatur, apparet. Sed ubi parum est, quod appa-
 ret, obscurum est ambiguo simile: ueluti si quis excipiat aliquo triuio; ubi densi-
 tate nebulæ, nihil uiarum quod est, eluceat. Ergo à pergendo prius obscuritas
 te tenetur. At ubi aliquantulum rarefcere nebulæ cõperint, uidetur aliquid, quod
 utrum uia sit, incertum est. & hoc est obscurum ambiguo simile. Dilucescente au-
 tem cælo quantum satis, iam omnium uiarum deductio clara est; sed quæ sit per-
 gendum non obscuritate, sed ambiguitate dubitatur.

Est ergo obscurum prorsus quod uitiat, ut in exemplis superscriptis.

Est obscurum non prorsus in quo parum lucis est, & ideo ambiguo simile
 Consultus nominat; & de hoc loquitur regula: in obscuris quod uerisimilius est,
 inspicimus, & alia, quod minimum sequendum est, & ambiguum in quo uolun-
 tas loquentis spectanda est.

Ambiguum siue obscurum, his modis fieri perspicuum in rheto. docet Cice.
 Primo ex communi sermonis consuetudine, quod omnes sic intelligunt: deinde
 ex superiori, & inferiori scriptura: deinde ex cæteris scriptoris dictis, factis, anti-
 mo, ac uita. Item ex aliquo uerbo, quod in scriptura est; deinde quod commodi-
 us est id, quod nos intelligimus fieri, quam quod aduersarius intelligit, ut hac le-
 ge, Meretrix auream coronam si habuerit, publica esto; utilius & commodius in-
 telligitur, de corona publicanda, in qua magna est utilitas, quæ non est in mere-
 trice, cuius inutile est commercium. Item quod nos interpretamur esse hones-
 tum, utile, uel necessarium. Deinde docendum alia lege cautum quod aduersari-
 us contendit, & ideo hæc superuacua foret. Deinde non isto modo, sed aliter
 scribendum erat, quod aduersarius contendit, ut hac controuersia:

Hares meus uxori meæ uasorum argenteorum pondo centum quæ uolet, da-
 to. post mortem eius uasa magna & preciose cælata à filio petit mater. Hares
 quæ ipse uolet deberi, dicit, Mulier replicat, si hæredis uoluisset permittere uo-
 luntatis

*l. librorum.
 §. quod tamen
 Cassius, de leg.
 iij. ut l. si seruus
 plurium, de
 leg. i.
 l. i. in reb. dub.
 Glos. in l. ne-
 pos proculo.
 ff. de uerb. si.*

A luntati, non scripsisset, quæ uolet, quo non scripto nihilominus hæredis erat, quæ
 uellet dare. Deinde, quo tempore scriptum sit, quærendum, quid eum uoluisset
 in huiusmodi tempore uerisimile sit, intelligatur. Postremo quid utilius, quid ho-
 nestius. Hæc Cicero. quæ confirmari ex libris Digestorum nõ est dubium. Sum *Scripti et uolū-
 tatis qq. diuisio.*
 ma autem quæstionum scripti & uoluntatis diuisio est, quod aut de scripto tan-
 tum, aut de uoluntate, aut de scripto & uoluntate simul quæritur. Scripti tantum
 tunc quæstio est, quando scriptum est obscurum, uoluntas clara. Voluntatis tan-
 tum, quando scriptum est apertum, uoluntas dubia. Scripti & uoluntatis simul
 quæstio tribus modis potest contingere: primo quando utriusq; est in obscuro:
 alio, quando utriusq; est clarum, & tamen inter se pugnant, ut quando notum est
 legare uoluisset uestem, & dixit supellectilem; tertio quando altera pars scripto ni-
 titur, altera uoluntate. Exemplis iam patefaciamus.

S I T L E X.

Peregrinus si muros ascenderit, capite puniatur. Peregrinus è muris hostes
 repulit, accusatur. Similis huic est illa uulgata statuti Bononiensis: Qui in palatio
 ictu sanguinolento ferierit, capite puniatur. Chirurgicus in palatio ægrotum phle-
 botomauit, accusatur. In his accusator scripto nititur, reus uoluntate se defendit;
 & in præceptis est, ut qui uoluntate agit, scriptum infirmare conetur. Qui autem
 scriptum tuetur, etiam uoluntate iurare se debet: accusator hoc quod scriptum est,
 uoluntatis esse cõtendit. Nemo existimandus est aliud ab eo quod loquitur, uelle.
 multo propius accedere ad scriptoris uoluntatem eum, qui ex ipsius literis eam
 interpretetur, quas suæ uoluntatis quasi imaginem reliquit, quam cum qui suspi-
 cionibus perscrutetur. Reus contra: non creditur quisquam quid dixisse, quod
 non mente agitauerit. Sed hunc casum mente non agitauit, ergo nec dixit, capta
B ri uerba non conuenit. Pro maleficio, non beneficio pœnam scribere cogitauit
 legislator, & hoc modo scriptum reus ad se trahit. In his speciebus nullum argu-
 mentum pro reo ex lege duci potest, sed totum ex ipsa re quæ in lite est, scilicet,
 An ciuitatis seruandæ causa, non licebit muros ascendere? Medico an medendi
 causa in palatio sanguinolenter secare non licebit? An benemeritis pœna scripta
 sit: an benefacta puniri uoluerit lex? Pecora in oppidum agere ne liceat. Pastor
 fugiens latronum uel hostium incursum, in oppidum abegit, accusatur. Alberici
 Ros. putat contra legem nihil factum, xij. q. secundæ partis stat. & Feli. pro-
 bat in c. ij. de const.

De uoluntate sic quæritur.

Legata sunt uxori decem milia, si non nupsit. Post decem mortis menses pe-
 perit, de legato litigatur. Hic enim scriptum in confesso est, sed utraq; pars de uo-
 luntate testatoris contendit. Mulier dicit non nupsisse. Hares replicat etiam stu- *In aut en. de
 rest. et ca. q. pa-
 rit et c. de se-
 cun. nup. au-
 ten. eisdem.*
 pro deficere conditionem, testatorem maritum uoluisset, qui honestum coitum
 agre ferre uisus est. Scriptum infirmatur illis hisdem causis per quas supra dixi-
 uitiosas fieri interpretationes. Fabius exemplis his docet non stari scripto. Pri-
 mo per locum ab impossibile natura, uel æquitate. Secundo per obseruationem
 alicuius uerbi, quod est in lege, unde sumitur argumentum contra scriptum. Ter-
 tio quando error in scriptura arguitur. Quarto per locum à uero simili, seu non
 diuersæ rationis. De primo illud est de quo semper scriptum seruari non potest,
 ut illa lege: Liberi parentes alant, aut uinciantur: non enim alligabitur infans.
 Huic similis est illa Guidonis Suza, et Odofredi lex: Omnes currat ad incendiū,
 neq; infantes, neq; ualitudinarios, neq; uinculs uel aliter impeditos teneri dicunt.
 Item illa: Homicida securi feriat. non tenebitur infans, quia ignorat quod agit.
 similiter & furiosus, neq; qui se defendendo occidit, quia natura docet, imò con-
 tra naturam est se nõ defendere. Hæc ex quæstionibus statu. Alberici, adde, neq;

Cum qui non dolose occidit. Capitalis enim fraus sine dolo malo non committitur. In his enim casibus feruari scriptum neq; debet neq; potest, citra summam iniquitatem. Pulchre ergo Bald. admonet, uerba absolute prolata debere restringi ad id quod est possibile natura, facto, iure, & secundum bonos mores.

De secundo. **LEX.** Superstitibus masculis femina non succedant, nisi quatenus testator eis reliquerit. Bal. hic putat statuto excludi feminas facto testamento, propter dictum, nisi testator, & sic statutum in casibus testatorum intelligendum. Qui noctu cum ferro deprehensus fuerit, alligetur: cum anulo ferreo inuentum magistratus alligare uult, quia hic est uerbum in lege deprehensum: satis significatum uidetur non teneri lege, nisi noxium ferrum. Nota uerbum deprehensum in delictis accipi in malam partem de eo, qui in scelere reperitur, ut in lege: Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrunq; corpus interficiat. sine fraude esto. De argumento ab errore uerisimili, siue loco à non uerisimili, Fabius accidisse tunc meminit, ut qui sestertia nummum quinque milia legaue rat, cum emendaret testamentum, sublatis sestertijs nummum manserunt quinque milia, & argenti pondo posuit. Apparuit tamē quinque pondo dari uoluisse, quod ille in argento legato modus inauditus erat & incredibilis. Obserua errorem probari per id quod est incredibile & inauditum, siue insolitum. Confert illud Bald. Quod non est uerisimile, habet falsitatis imaginem. Rex Salomon iudicauit illam matrem non esse quae scindi infantem contentabatur: ergo incredibile & insolitum, uiolentam (nostri dicunt) praesumptionem facit. De ultimo Fabius sic loquitur: In testamentis & illa accidunt, ut uoluntas manifesta sit, & scriptum nihil sit, ut in iudicio Curiano in quo nota L. Crassi & Scæuola fuit contentio, substitutus erat si posthumus ante tutelae annos decessisset; non esset natus, propinqui bona sibi uendicabant. Quis dubitaret quin ea uoluntas fuisset testantis, ut is non nato filio haeres esset, qui mortuo? Hæc Fabius. In eodem casu substitutionis factæ, si filio nascituro qui natus non est, Consultus Ancharanus respondit locum non esse substituto. Extat eius consilium pulcherrimum celi. Quod Felinus extollit in ca. translato. Ego autem pluris facio iudicium centumuirale, quod pro Marco Curione substituto iudicasse meminit Cicero in orat. pro A. Cecinna, quod non esset ratio diuersae uoluntatis, in uno casu magis quam altero. Eadem ratione uoluntatis Imperator Iustinia, rescripsit substitutum admittendum nato posthumo, qui substitutus erat non nato, qui casus fortior est Curiano. Nec refert Ancharanum motum persona fratris uendicantis, quoniam non alij quam propinqui erant, qui cum substituto in causa curiana litigabant, quæ controuersia tam acriter, diuq; apud centumuiros agitata fertur, quod L. Crassum eloquentissimum, & Q. Mutium Scæuolam prudentissimum claros fecerit. Reperio etiam Bald. hanc eandem quaestionem fecisse, & pro substituto sentire in eadem l. si. & ante eum Guil. de Cu. in l. i. de uulg. & Raynerium lib. substitutionum in tractatu uulgarium. Soc. uero consilio liq. refert doctores quosdam respondisse licet casus non nati uerisimiliter mente testatoris comprehendatur, nihilominus ut omissus habendus. Citat hoc idem Ancharani consilium. Fatentur ergo testatorem uoluisse in casu posthumi non nati substitutioni locum esse. Quo modo omissus censerit debet, non uideo, cum quod ex sententia est, idem ex uerbis esse definiat Vulp. in l. nominis. falsum hoc modo esset in conditionibus primum locum tenere uoluntatem, & quod uoluntas omnia faciat, quodq; omnia iura clamant, mentem & non uerba spectanda. Idem Soci, in rep. l. i. de uulg. contra substitutum inclinatur ea ratione quod talis adiecta conditio est uoluntaria, sed à centumuirali iudicio non recedo.

l. cū autem §. excipit. de edil. edic. l. Corn. de ficar. Bart. in. l. i. si quis test. l. ber. et Bal. et Castr. in l. data opera. C. qui accu.

e. afferte. de presump.

l. a titio. ff. de uerb. obli. in fi. in l. si. C. de insti. et substi.



Ad interpretationem accedamus, quam recentiores extensiuam appellant, accommodatius & magis proprie Cicero ratiocinationem & Quintil. nominant, quod ratione differitur, propter quod Graeci titulo praenotant Syllogismi. Fortunatianus collectiuam, quod ex eo quod scriptum est, colligimus id quod scriptum non est, ut perinde esse doceamus, ac si scriptum esset. Quam quinque modis fieri sic docet, à simili, à consequenti, à contrario, à maiore ad minus, à minore ad maius. Percurram breuiter modos, quibus collectio fieri potest, diffusiore tractatum fallentiarum relinquo his, qui singula persecuti sunt.

A SIMILI. Sit lex:

Qui patrem pulsauerit manus ei praedicantur; matrem quidam pulsauit, petatur ad poenam. In ratione similitum uenire autor putat etiam quæ eadem ratione iunguntur. Guillemus de Curnio. Similia, inquit, sunt in quibus eadem prorsus ratio reperitur. & satis est similitudo sit in eo duntaxat de quo agitur. His iungantur & quæ æquparatorum & correlatiuorum generi subiiciuntur, ac quæ commenturata dicunt. Dicit fortassis aliquis, in poenalibus non fieri extensiones. Contrarium uideo in l. si quis id quod. de iur. o. iud. & in l. iij. de parric. & in l. iij. de in cen. ru. nau. & l. quisquis. C. l. lul. maie. Bar. concedit quando uersatur fauor reip. licet delinquentibus sit odiosum, in quod procliuor sententia est, hoc iure utimur argu. l. ita uulneratus. ad l. aquil. cætera latius tradunt Ro. & Imol. in d. §. de uiro l. si uero. & doct. in d. l. si quis id. ubi illam extendunt ad libros archiui.

l. i. C. de iterd. c. translato. de cõsti. c. inter cætera. de rescrip. l. non possunt. de ll.

In l. si quis non dicam rapere. de episc. et cle. et ibi Bald. et Specu. titu. de dis. ad uoc. §. post.

Facit l. utrū ad l. pom. de parric. et l. hæc uerba. de adult.

ut l. illud. de acquir. hæc. et regula. accessorium.

ut l. illud. de acquir. hæc. et regula. accessorium.

A CONSEQUENTI. Lex: Adulteros deprehensos liceat cæcare. Maritus qui cæcum adulterum in adulterio deprehendit à lenone perductum, lenonem excæcauit. Collectio fit hoc modo; consequens esse, ut eius oculi eruantur, quo ministro, adulterium commissum est. Sub hac specie continentur omnia consequentia & antecedentia necessariò. Et illa regula, cū quid prohibetur, uidetur prohibitum etiam id per quod peruenitur ad illud. l. oratio. de sponsal. l. quod dictum. de pact. glo. & doct. in l. ij. de iur. om. iud. non tamen æque poena committitur. Nam poena imposita matrimonium cõtrahenti non punit sponso, de quo Iason in l. ij. de iur. om. iud. Bal. in l. penul. §. docere ne quis cum qui & c. Din. & Ioan. Andr. in regula cum quid prohibetur.

A CONTRARIO. Lex: Desertor capite plectatur. Lex altera: Qui fortiter fecerit, petat præmiū; desertor fortiter fecit, petit præmiū. contradicitur: quod lex quæ iubet capite puniri, à contrario sensu uetat dari præmiū. Bal. in l. cõ uenticulam. C. de Ep. & cle. & doct. in l. i. de offi. eius, & alijs locis cõmunibus aliter concipiunt & eliciunt argumentū à contrario, & igitur nota hunc modum. Lex: Proscriptū siue bannitū occidenti detur præmiū. Proscriptus proscriptū occidit, petit præmiū. Fortunatiani iudicio non dabitur à cõtrario sensu legis uolentis occidi, ergo non præmiari. Ex diuerso. Ad libertatem perducit uetitus, si officorem domini indicauerit reip. interesse Vlpianus respondit, ut præmio libertatis donetur. Vnde Bartolus, Bal. & doctores omnes definiunt Reip. causa bannito bannitū occidenti præmiū deberi, hocq; iure utimur. Quauis Gamarus libro Extensionū, ita demū admittendū putat, si per alios cõmode occidat. Post hæc ad inductionem Bartoli responderi: Non ob aliquod scelus libertatis committitur interdicitū seruum illum fuisse. Multū quippe interest qua de causa quis præmio fiat indignus; neq; læditur respublica illius serui manumissione, sicut læ

C datur præmiando illum, qui lege iugulandus esset. Confirmo illo Aquinatis dicens: Requiritur, ut ille qui mereri contendit præmium, sit in statu acquirendi. iij. distin. xvij. q. i. ar. i. facit l. ut gradatim. de muneribus & honoribus. **LEX:** Non superstitibus maribus, matri filiae hæredes sunt. Ci. & Dinus responderunt à contrario legis sensu non filias, sed superstites matri filios hæredes fore. Ecce quomodo à contrario eius quod scriptum est, colligitur id, quod scriptum non fuit. Hæc collectio à contrario fortissima est, & habet uim extensiuam à casu collecto ad alios similes, tex. est in l. i. de off. eius. à doctoribus non obseruatus.

Ut in l. in suis. de lib. et post. hu. et regula, cui licet quod plus. et l. i. C. de pat. qui fil. distr.

A MAIORI AD MINVS. Exulem intra fines deprehensum licet occidere, infra fines deprehensus uapulauit. Pro hoc illud; si non punitur factum consummatum, non punitur attentatum. Valet argumentum negatiue ab eo quod dictum, ad id quod dictum non est.

A MINORI AD MAIVS. Qui cõmilitonem in acie protexit, petat præmium. Qui Imperatorem protexit, petit præmium. Procedit argumentum affirmatiue. Qui uirginem tentat rapere, reus sit raptus. Qui uenenum marmelum parat, reus sit ueneficij. Qui animo occidendi telo aggreditur, reus sit occisi hominis. Quid si rapuit? Quid si poculum dedit? Quid si occidit? scriptum non est, sed ab eo quod scriptum est, docemur perinde puniendum, ac si scriptum esset. Valet enim hæc argumentatio, Si punitur attentatum, fortius puniendum consummatum. Et è diuerso, si puniri non debet perpetratum, neq; etiam attentatum.

Quintilianus autem plenius ac distinctius explicat, totum hoc duos habere fontes: unum quando non satis lege cautum est id de quo queritur; alterum quando nihil scriptum est, sed ex scripto nitimur ducere, quod scriptum non est. In utroq; de uoluntate est quaestio, & ex bono & æquo plenissimus tractatus, habetq; aliquid simile quaestionibus scripti & uoluntatis, quia pars altera scripto nititur semper, sed hoc interesse ait, quod in quaestionibus scripti & uoluntatis, dicitur contra scriptum, hic supra scriptum, quando queritur an lege satis cautum sit. Illic qui uerba defendit, ut fiat utiq; quod scriptum est, hic etiam aliud quam scriptum est. Nam quando parum cautum est, uerbi gratia, in lege est unum uocabulum, & in eo de quo lis est, aliud expressum uocabulum de quo dubitatur, utrum sit eiusdem significationis, cuius est uocabulum in lege scriptum, tentanda est definitio, quæ si constiterit, finita est cõtrouersia, sin uero infirma est definitio, ad syllogismum recurrendum est, id est ratiocinatioam collectionem. Exemplum.

LEX: Venefica capite puniatur. Vxor marito amatorium dedit & repudiavit, nec exorari potuit ut rediret. Maritus æstuantis amoris impatiens, laqueo se suspendit. Mulier ueneficij accusatur. Firmissima est accusatio dicentis amatorium esse uenenum, id erit definitio, quod si parum ualebit, fiet syllogismus ut perinde puniatur, ac si uirum ueneno necasset. Ergo hic status ducitur ex eo quod scriptum est ad id quod incertum est, an legislator hoc senserit, & quia ratione colligitur ratiocinatio dicitur. **LEX:** Qui claua ferrea percusserit, relegetur. Titius percussit malleo ferreo, alius capulo grauis securis, petitur relegari. Excipitur nihil in lege de malleo, neq; securis capulo scriptum. Bal. hic putat lege teneri, si non multo minus grauitate noxia ea tela fuerint: & obseruandum est secundum Bal. quando ratio legis excedit uerba, semper lex extenditur per ipsam rationem. Quando dubium est, an satis cautum lege sit, in has quaestiones Quintilianus diuidit: An quod semel ius est idem & sæpius; an quod in uno idem in pluribus, an quod ante & postea; an quod in toto, idem in parte: an quod in parte idem in toto legislator uoluerit. Exemplum de primo: Incesta è saxo Tarpeio deiciatur: incesti damnata & præcipitata uiuit, repetitur ad pœnam, quia non est scriptum in lege, præcipitata si uiixerit iterum præcipitetur ut intereat. quod si legislator uoluit,

In l. si quis id quod de iur. o. iud.

A uoluit, parum expressit. Qui syllogizatur, mouet, ut quid præcipitari uoluit, nisi ut interiret ad exemplum aliorum, satisq; scriptum uideri, si ex tam immensæ altitudinis saxo præcipitari lex iubeat. Similis huic: Fur laqueo suspendatur. Sensus fracto laqueo uiuus decedit: non scriptum uiuus iterum suspendatur, & ideo non satis lege cautum, quæ furem laqueo strangulari uult. **LEX:**

Causæ per arbitros compromissarios disceptentur, semel facto compromisso necdum pronunciato, an sæpius compromittendum, nisi compromissa repetantur legis menti satis non sit, donec per arbitros liti finis imponatur. **LEX:** Causæ consilio sapientis iudicentur, quod intra x. dies tradiderit obsignatum. Consilio nõ tradito, an alius sapiens eligendus? Et quamuis lege parum cautum sit, nihilominus idem statuendum ad exemplum cõpromissarij statuti arbitror, ut toties sapiens adeatur quousq; aliquis responsum reddat. Quid si iniustum consilium reddatur? quia non secundum eum iudicandum est, ideo pro non responso est, ut plene tractauimus in commentarijs ad §. Responso prudentum.

An quod in uno idem in pluribus. Tyrannum qui occidit, præmium petat. Qui duos tyrannos simul occidit, quo petit præmia. An debeantur, non satis cautum. Similis huic est: Qui testem falsum, quiue instrumentum falsum produxerit, reus sit falsi. Quidam plures produxit falsos testes, siue plura instrumenta, quia de pluribus lege satis cautum non est. Syllogismus, si in uno, fortius in pluribus, legislatorem uoluisse ratio suadet naturalis. Percutientis ictus contemplari lex iubet. Vno ictu plura inflixit uulnera puta forfice, aut bidete uel alijs. An ictus an uulnera uindicanda. Ictus contemplari lex iubet non uulnera. Ratiocinatio, respiciendum, an ex iudicio, an casu, Absurdum est æque leuiter puniri eum qui plus deliquit atq; eum qui minus.

B An quod in pluribus, etiam in uno. Qui plures tyrannos occiderit præmium petat: qui unum occidit non habet syllogismum. Et ideo ab autoribus omissum arbitror hunc locum. Qui plures falsos testes, quiue plura falsa instrumenta produxerit, deportetur. Quidam unum falsum testem produxit, tenebitur ne lege? Quidam teneri putant, quod durum uidetur: lex de pluribus & nõ uno loquitur. Ex qua argumentum duci non potest ad eum qui unum protulit, nulli dubium plus peccare eum qui plures falsos producit testes. Maius enim delictum hæc lex punit non hoc, neq; ualet de maiori ad minus hoc casu ratiocinatio. Verum quando idem effectus est in uno qui in pluribus, ualet Syllogismus de pluribus ad unum, & hoc casu puto loqui Bartolum & alios. Vi bonorum rap. Prætor ait, si cui dolo malo hominibus coactis damni quid factum dicitur. Ulpianus homines coactos, etiam si unus homo coactus sit, adhuc dicemus.

Dyn. & Bar. in l. ij. §. sed si unus ui. bo. ra. et dic. l. iij. de neg. gest. Anc. in c. Relatum. ij. de test.

Pater posthumum qui nasceretur, hæredem instituit: si duo posthumi nascerentur æqualiter instituit, quos & inuicem substituit, subiicitq; hæc uerba: Si prædictos posthumos omnes decedere cõtingeret in pupillari ætate, uel postea quando docunq; sine liberis, sorores meas æquis portionibus substituo. Vno nato posthumo, & ante tutelæ annos mortuo, mater litigat de hæreditate, cum substitutis. Oldradus uir summæ scientiæ consilio cxlij. respondit ad matrem hæreditatem pertinere his medijs. Primo, quod concepta esset substitutio, si duo nascerentur & natus est unus. Secundo, quod substituti uocantur in euentum quo omnes posthumi decederent. Pluralis sermo, inquit, non potest secundum propriam significationem in uno saluari. Tertio, quod huiusmodi substitutio esset odiosa, per quam mater à luctuosa filiorum hæreditate excluditur. Quarto, quod mater quæ uerborum proprietate non excluditur, neq; coniectura excludenda est, quoniam coniecturæ, inquit, contra matrem non admittuntur: citat l. fi. C. de instit. & substit. & l. precib. C. de impub. hæc Oldradus. Status huius quaestionis est

C ratiocinatus, de eo quod non uideatur plene dilucidé uel scriptum aut dictū. Pro substitutis autem fortissimum in iure est omnium consensu argumentum, scilicet ubi diuersitatis ratio reddi non potest, illic nec diuersa dispositio. Non enim liquet cur testator maluisset pluribus natis & mortuis quam uno & mortuo sorores substituere, & ad matrem uno nato & mortuo luctuosam hereditatem peruenire, quam pluribus natis & mortuis luctuosorem non peruenire. Si desiderabat testator ad sorores deficientibus filiis suis hereditatem deferri, nihil interest unum ubi unicus est, aut omnes ubi plures decessisse sine liberis, quoniam defectum liberorum cogitauit, non numerum. Similiter hereditatem ad coniugem ob orbitatem filiorum si deuolui uoluisset, non refert orbitas morte unius aut plurium contingat; & ueluti siue uno siue pluribus decedentibus cum liberis, substitutionis conditio deficit, sic uno, ubi alius non superest, æque ut pluribus omnibus sine liberis decedentibus impletur conditio; testator enim casum & non numerum mortuorum sine liberis mente agitalle credibilius est, & propterea substitutioni locum esse mihi persuadeo. Substitutio quippe hæc expressa pupillaris est, & posthumus impubes obiisse præponitur, matrem ergo excludi proculcati iuris est. Neque inuenio in casum duorum duntaxat nascentium posthumorum substitutionem factam, quinimò utrumque casum & nascentis unius et duorum testator expressit illis uerbis, si unus posthumus nascetur sit hæres, si duo posthumi, æqualiter. Atqui neque à natiuitate, sed à morte posthumorum sine liberis pendere, apparet uoluisset substitutionem minimeque inuilitatum uerbum omnes, & in uno, & in pluribus uerificari. Verbi gratia; testator qui cum habet filium, moriens dixit, Si contingat omnes filios meos decedere, Titius hæres esto; non deficiet conditio institutio illius unici morte. Nam sicut in illa, si filios habebit, & unum postea habuerit, non dicitur defecta conditio; pariter & qui unum habebat, eo deficiente recte dicimus omnes filios eius decessisse. Homines coactos Prætor ait, nihilominus Ulpianus censuit edicto locum esse, si unus coactus fuerit. Fortius in casu nostro, quoniam ultimæ uoluntates iuuandæ sunt. Succeditque præfens regula, Quod in pluribus etiam in uno, quando non est diuersitatis ratio.

D Accedit quod qui duo dicit, etiam unum dicit proprie; & in his quæ stricti iuris sunt, ut si stipulor duo, tu spondes unum, ualeat stipulatio in uno, quia etiam unum stipulari uideor; & ex diuerso, uno instituto posthumo, si plures nascantur, omnes instituti intelliguntur; etiam qui uni ultimo morienti ex pluribus substitutus est, duobus simul morientibus succedet. Non diuersum ergo in quæstione proposita esse debet, si testator pater dubitans (ut naturaliter euenire solet) de numero nascentium posthumorum, & de uno, si unus nasceretur, & de duobus si duo nascerentur, facta institutione subiunxit sermonis compendio, si omnes mori contingat &c. uno nato & mortuo, non deficiet substitutionis conditio. His astipulatur Paulus, Jurisconsulti responsum in l. Falsa. de condi. & demon. his uerbis: Sticum & Pamphilum do. lego, si mei erunt cum moriar, & unum ex his alienauerit, an uel alter possit à legatario uendicari, nam hunc sermonem licet pluralis sit, pro eo oportet accipi, atque si separatim dixisset, Sticum si meus erit, cum moriar. hæc Iul. Paul. Sozi. consilio lxx. Hæc uerba, eis substituit, perinde accipienda sunt, ac si dictum esset, ei uel illi substituit, & cui libet separatim si facta esset substitutio, si decessit sine filiis, ex quo testator distinguit personas institutorum. His iunge illa testatoris uerba, si prædictos posthumos omnes mori contingeret &c. antea scripserat si unus nasceretur, hæres esset; si duo, æqualiter hæredes essent; unde palam fit, & unum prædictum & duos prædictos fuisse, & ideo manifestum est hunc unum qui natus & mortuus & prædictus est, uerbo omnes significari, in quem solum fors nascendi post mortem testatoris cecidit, suadetque ratio, ne uo

A sic uoluntas pereat. Ad duas ultimas rationes respondeo, ex testatoris uerbis li-
quere patrem impuberi expresse substituisse, & in hunc casum qui euenit substituisse
saltem uerbis generalibus, quod sufficere Bartolus ubique docet ad matrem excludendam, nec est qui contradicat. Esto, substitutio concepta esset in casum duorum post-
humorum, de unico nulla mentione facta, adhuc arbitror ad casum unius posse ada-
ptari illo uulgatissimo, quod substitutio facta in unum casum porrigitur ad simi-
les. Similitudo autem est in ratione, ut supra diximus; item in effectu, quod uel unus
ubi solus est, uel omnes ubi plures sunt, moriantur, omnino sequitur orbitas om-
nium filiorum, in quem casum testator substituit.

Ceterum miserabilior profecto casus est duorum amissorum filiorum quam
unius. Hinc coniectura de uoluntate mariti erga uxorem suam, cui quod in luctuo-
sa hereditate duorum filiorum prætulit substitutos, fortius existimare conuenit
unico mortuo præferri uoluisse. Vtique reiecta est illa opinio coniecturæ contra
matrem non admittendæ, autore Bar. Bal. Ang. Saly. Castren. Iasone, qui una
omnes uoce dicunt, non solum testibus, uerumetiam coniecturis probari posse
testatorem noluisse hereditatem luctuosam ex tacita quantumuis pupillari ad
matrem uenire; quod si coniectura uoluntatis ualeat in tacita profus pupillari con-
tra matrem, longe plus ualere debet in casu nostro ubi expressa est, uel saltem
non omnino tacita est substitutio.

An quod antea & postea, Rapta raptoris aut mortem aut indotatas nuptias optet.
Raptor profugit, rapta nupsit, reuerso illo rapta petit optionem ex scripto, quod
simpliciter loquitur, rapta optet & optat: fuga non debet esse frustratio poenæ.
Pro raptore non est scriptum quandoque rapta optet, petere statim debuit non nu-
bere: nubendo optionem remisisse uidetur. Ex altera parte nuptiarum optionem
remisit non mortis, quam nubendo sibi reseruasse declarat. Pro raptore. Atqui al-
teram partem alternatiuæ optionis, non optando remittit, totam optionem remit-
tit. Minor contrahit sub conditione quæ post xxv. annum euenit, læsus desiderat
restitui. Quæstio an ut ante xxv. annum poterat restitui, sic postea completo xxv.
anno possit. Ante xxx. diem nunciet mulier se prægnantem, an licebit postea; ante
x. diem licet appellare, an postea. Doctores nostri tradunt de tempore ad tempus
non fieri extensionem, citant l. uxori. de leg. iij. & l. talis. de leg. i. Aret. & Sozi.
in l. i. de uulg. quod tamen apud me dubium est, propter l. Si quis id quod. de iur.
o. iu. & l. sepulchri. de sepul. uiol. ibi sepeliretur, trahitur ad iam sepultum.

An quod in toto idem in parte. Aratrum accipere pignori non liceat. An uome-
rem liceat: nihil de uomere dictum, at aratri pars est, sine qua agricolatiōi, cuius gra-
tia lex data est, totum sit inutile. Papinianus in l. hæredes mei. §. i. infra ad trebel. Re-
spondit ut eidem fideicommissario pars restituatur, cui totum, si casus accideret, resti-
tui uoluisset. Secus est ubi iuris ratio non consentit, ueluti in uulgariter substituto
ut non ad partem à primo hærede repudiatam admittatur, quoniam regula iuris est, ut
aut totum quis respuat, aut totum retineat, l. si solus. infra de acquir. hæreditate.

An quod in parte idem in toto. **L E X.** Lanæ uehere Tarento non liceat,
an oues liceat: nam & in oue lanæ sunt, quamuis de ouibus nihil dictum, si non
in fraudem legis uehantur, forte licebit.

L E X. Vomerem pignori accipere non liceat, an aratrum liceat? de his spe-
ciebus non satis declarata uoluntatis loquitur Iulianus in l. si is qui ducenta in fi-
de reb. dub. et quæstiones fiunt proposita controuersia, an satis, an parum cautum in
lege sit de ea, et ubi satis uidebitur, succedit illa, an tali iure sit utendum, & tum om-
nia in utranque partem excutienda, quia uideri potest parum uel satis lege cautum,
& tamen illo iure utendum non esset. Maioris pugnae est, Quintil. inquit, ex scri-
pto ducere quod scriptum non est, in quo genere illa quaruntur, an quoties,

In l. moribus
de uulg. l. centu-
rio. l. Lulius. co-
dem titu. l. pre-
e. ibi glos. de
impub. et leg.
fi. C. de insti. &
substi.

Cpropria lex non est, simili utendum sit; an id de quo agitur ei de quo scriptum est simile sit: simile autem, inquit, est, & maius & par & minus. Et obserua quod inquit, quoties propria lex non est, quod si esset & dissimiliter definirer, non esset locus ratiocinationi. Cicer. ad Heren. Ex ratiocinatione, inquit, controuersia constat, cum res sine propria lege uenit in iudicium, quæ tamen ab alijs legibus similitudinem quandam aucupatur. Hoc idem tenent doctores nostri.

Qui patrem occidit, culeo insuatur. Matrem qui occidit, culeo insui petitur. Ex domo debitorem educere nõ liceat. Extra tabernacula qui eduxit, accusatur.

In l. pleriq. de in ius. uo. et l. nemo inuitus. de reg. iur. l. lex Corn. §. domi et l. apud Labeo ne. §. proinde. de iniur. l. filiu ad maced. l. iij. §. non sol.

S. C. uetat mutuõ dari pecuniam filijs familiãs. quid si data est nepotibus? Pau. Iure consul. respondit S. consulto locum esse. Ex his error liquet nostrorum dicentium plerunq; domorum appellatione tabernacula, & filiorum nepotes contineri, quoniam non ex significatione sed hac ratiocinatione ex eo quod scriptum est, ad id quod scriptum non est, interpretamur. consentit Bar. in l. liberorum. de uerbo. signifi. & clarissimus Alciatus lib. iij. paradoxorum. ca. xiiij. Prætor ait in eum qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, nauie expugnata quid rapuisse dicetur. Vlpianus non solum qui rapuit, sed etiam qui amouerit hac actione tenetur: licet aliud esse rapi, aliud amoueri palam est: siquidem aliquid amoueri siue ui possit, rapi autẽ sine ui non potest. Idem Vlpianus: Hoc edicto tenetur & qui tollit quamuis corruerit. in l. si quis id quod de iur. om. iud. Stulti obseruant uerbum rapere improprie accipi pro amouere, non animaduertentes ex scripto Vlpianum coniecturari Prætorem damnum passis, eo dicto subuenire uoluisse, & igitur uel raptæ uel amotæ res sint, nihil interesse quo minus damnum passo succurratur. Rate, nauie expugnata Prætor ait, Labeo scribit æquum esse, ut siue de domo siue uilla expugnatis aliquid rapiatur, huic edicto locus sit. Ecce

de l. iij. §. de inde.

Dquomodo Labeo ex nauibus expugnatis scriptum in lege trahit ad domos & uillas expugnatas, de quibus in lege nihil dictum est, non alia ratione, nisi quia æquum est: & igitur in his Syllogismis totus tractatus ex bono & æquo est, in quo tota Iurisconsultorum ars uersatur. Adde his traditionibus illud omnium consensu, semper omni casu collectionem rationalem faciendam, quando non facta consuequitur absurdum uel aliud uitium, & inter cætera si constitutio efficeretur inutilis. Verbi gratia: Vfurarius manifestus prohibitus testari, an codicillis uel causa mortis donat, glo. in c. quicquid. de usur. lib. vi. prohibitus in cimiterijs humari, neq; in ecclesia humabitur, Liazarus in cle. i. de sepul. Feli. in c. translatio. d. consec. li. de leg. iij.

l. i. de iust. & iur. In authen. quas actio. C. de sac. sanct. eccle.

L E X. In charitate annonæ frumentum exportare nõ liceat, an farinam uel panes exportare licebit? & igitur farinam & panes exportare non liceat, an frumentum exportare licebit?

L E X. Iumento frumentum exportare non liceat, an plaustro uel humeris licebit? Vinum exportare non liceat, loram ne exportare licebit, aut mulsum: harum omnium prohibitionum par causa est, licet diuersæ sint species. Eleganter quippe Bal. in l. de quibus, Ratio, inquit, est, coniunctio diuersorum casuum ad eundem finem tendentium: charitas utiq; annonæ superscriptos annectit casus, & legi ne fraus fiat.

L E X. De frumento & uino quod exportatur, uectigalis exigendi ius esto. quid de farina & panibus? quid de lora, mulso, et id genus reliquis? nõ uectigales sunt, quoniã non par annonæ & uectigalis est causa. Filius familiãs codicillatur, cõtradicitur, quod frustratio legis esset, quæ testamenti factione sustulit: si codicillari uel aliter filijfam. relinquere possent. Ex scripta ergo prohibitione testamenti colligitur, prohibitum codicillis & aliter relinquere, perinde atq; si scripto prohibitum esset. Et quoniã in hac ratiocinatione clauis omnium consensu est similitudo,

igno.

Aignoranda non sunt quæ dissimilitudinem faciunt, Cicerone autore, id est diuersum genere, natura, ui, magnitudine, loco, tempore, persona, opinione, causa, ratione, eorumq; ratio tum habenda est, quando causam iugulant, quod est quãdo in eo de quo agitur, sunt dissimilia, licet in cæteris sint simillima. Deniq; admonendi sumus ratiocinationes siue extensiones non fieri cõtra iuris regulas. Aret. & Soci. fil. in l. i. de uulg. Io. An. excepta per principem uel legem à reg. iur. putat etiam ad casus eiusdem rationis non esse producenda. in c. sacris quod me. ca. quod perlepide sanctissimus Hadrianus VI Pont. Max. in pulcherrimo suo opere. de QQ. sacramentorum in iij. sententiarum, ita demum admittendum censuit, si exceptio principis uel legis sola autoritate sit introducta, secus si in ratione naturali sit radicata. Confirmo, licet id quod iuris naturalis est in constitutionem deducatur, non propterea eneruatur uis eius, sed duplici adminiculo roboratur, & sua ipsius ui & diuini potestate & approbatione: unde deducitur secundum Hadrianum, excepta à regula iuris quæ per se naturali æquitate ualent, trahenda esse ad consequentias ubicunq; suadet par ratio, & quæ à sola principis uel legis autoritate pendent non trahenda, quia caret æquitate rationabili secundum Bald. hic, quamuis non diuersa sit constituendi ratio. Panor. sequitur glo. in c. i. de temp. ord. in vi. quæ omni casu uult idem ius seruari quo eadem uiget ratio, sed non omnes consentiunt simpliciter, & ideo distinguunt Imol. & Geminianus in c. postquam. de elect. li. vi. & illa de ratione comprehensua & extensua, quæ ijdem tradunt, uereor ne plus inuoluant; & pœnalìa ad coercionem delictorum pertinentia, communi opinione fauorabilia sunt, & igitur producenda. Haftenus de his ex ueterum traditionibus, qui origines, causas, species, modos, subtilius, distinctius, compendiosius prosecuti sunt. Tractatu quippe difficilima hæc iuris particula est, ac frequens, tota ab opificio Iuris Canonici pendens, id est coniectura uoluntatis, ac boni & æqui ductu, in qua re ius adeo controuersum est, quod nulla à nostris doctoribus conflatur regula, quæ conflictu locorum & rationum non nutet, & expugnari non queat. Iunge his quæ supra de bono & æquo scripsi. Nunquid coniectura uoluntatis legum correctio sit admittenda, & ad consequentia producenda. Nonnulli negant, procliuorq; in hoc sententia est, quibus non accedo. Nam mens, siue tacita sit, siue expressa, nihilo minus mens est: ueluti homo siue flauus siue niger, homo est. Vnde fit mentem tacitam qui reijcit, mentem reijcere, & per hoc si deficit uoluntate lex scripta legem non esse. Protriti quippe iuris est mentis gubernacula de legum possessione explodi non posse: et ueluti legislator nisi in animo habeat legem corrigere, quantumlibet ad corrigendum apta sint uerba, non corrigunt; pariter si animum abrogandi habeat, uerba non dicta impedire nequeant abrogationem, dummodo aliquo signo animus demonstratur. Præterea nullo iure liquet leges tacite abrogari non posse, quinimo ipso iure, noua lege aut contraria consuetudine atq; etiam desuetudine antiquari dubium non est. Nihil interest, Iulianus inquit, sullragio populus suam uoluntatem declaret, an tacito consensu, Imperator Iustinia. legem Iuniam Miscellam abrogauit, commemoratione de mulieribus tantum facta, ne indicta uiduitate astringerentur: postea cum in controuersiam uenisset iuris indicta uiduitas, rescripsit ex sententia eiusdem suæ constitutionis, etiam in iuris satis intelligi posse abrogatam.

Donatio inter cõiuges eouiscq; erat inhibita, ut ipso iure non ualeret. Dicitur postea Ant. Seueri. F. luculenta oratione in senatu suasit, uti placeret morte uxoris uel uiri qui donasset, firma maneret donatio, & rigorem ueteris iuris remittere. Nihilominus Papinianus & Vlpianus censuerunt ex sententia orationis idem iuris fore in reliquis personis post matrimonium donare prohibitis, iuris quamuis

glo. in c. cupiẽ. §. quod si per. xx. d. elec. i. vi. Imol. Rom. in rep. l. si uero. §. de uiro. sol. mat. doct. in auten. quas actiones de sa. sanct. eccle. et in l. si const. sol. mat.

Insti. de iur. na. §. penul. l. de quibus. infra de legib. l. iij. §. sciendũ. de do. int. iur. et ux.

Cantiqui oratio esset abrogatoria. Nulli præterea dubium coniunctione plurimum legum siue plurimum capitum legis coniecturatos sensus dici, & commixtione duorum capitum legis uelleiæ corrigi XII tabulas Iulianus docuit; coniecturata ergo uoluntate leges tolli non est nouum & extendi.

Hos duos postremos locos obserua, quos doctores nostri non considerantes sese contorquent pro contraria sententia, nec solidam responsionem ad constitutionem Iustinianam, de indicta uiduitate, adhuc inuenerunt.

Primus ex leguleis nostris Fulgosius huius opinionis assertorē se præbuit, fretus leonina cōstitutione, ubi Imperator naturali ratione Iulianicę iuriconsulti & non diuiali autoritate, ut quidam putant, in q. quæ ex facto agitabatur, declarat Theodosianam constitutionem de uiro & uxore loquentem, æque habere locum inter sponfos & sponfas, licet per eam ius uetus quo patri omnia quærebantur, corrigeretur. Petrus Andreas Gammarus Bononiensis uir summæ scientiæ, qui nunc omnium consensu in numerum iudicum Apostolici auditorij adscitus est, libro de Extensione, confirmat pulchra & uera ratione, quod non temere leges nouantur, sed è Rep. & temporum & morum opportunitate, ut uidemus in lege Fusia canina, & lege Iun. Miscella, & alijs multis antiquatis: recitatq; ad hanc rem Sex. Cæcilij uerba pertinentia, ex ultimo noct. act. Gellij; facit illud

Vlpiani de consti. princip. dicentis: In rebus nouis constituendis euidentis utilitas esse debet. Ex quibus manifestum sit fauorabiles esse legum correctiones, & dilatandas potius quatenus eadem utilitas exigit. Adijce quæ supra de bono & æquo explicauimus, emendationes legum ab æquitatis fontibus manare, & ius bonum & æquum esse id quod emendat, & ob id producendum ad consequentias. Nulli inexploratum est, Ius prætorium non eo minus bonum & æquum habitum fuisse, quod plerunq; ius uetus emendabat. In stateram suspendantur uelim omnes correctæ leges, & liquidò constabit summa æquitatis ratione correctas: unde stultum uidetur uerborum angustijs cohercere, quod iure optimo ex sententia dilatandum esset. In hac eadem opinione reperio fuisse Io. Monachum uirum sapientissimum, contrariam quamuis partem totus mundus teneat leuissimis rationibus.

Dabitum fuisse, quod plerunq; ius uetus emendabat. In stateram suspendantur uelim omnes correctæ leges, & liquidò constabit summa æquitatis ratione correctas: unde stultum uidetur uerborum angustijs cohercere, quod iure optimo ex sententia dilatandum esset. In hac eadem opinione reperio fuisse Io. Monachum uirum sapientissimum, contrariam quamuis partem totus mundus teneat leuissimis rationibus.

MARII SALOMONII EQ. ADVOCATI QVE
CONSIST. IN L. OMNES POPVLI,
DE CONTRARIIS LL. LIBER
SEXTVS.



VPEREST de contrarijs legibus tractemus. Operæpretium est dispiciamus, num lex municipalis uere corrigat ius cōmune, quando contrarium quid statuit. Quod corrigat pugnantium natura sua det, & crebrior doctorum locutio. At Vlpianus Ius Ci. esse definit quod nō in totum à iure communi recedit, nec per omnia ei seruit; ergo per contrarium statutū recedi dicitur, non corrigi. Si enim corrigeretur tolleretur utiq; et esse desineret, ut in correctis à Iustiniano II. uidemus: & lex municipij semel correctā nunq; redit, quia à priuatione ad habitū secundū philosophum non est regressus: uerū quia ius cōmune sublato contrario statuto statim redit, palam fit non corrigi. Receditur itaq; à iure communi, cuius per contrarium statutum usus cessat, & proprie interim ius cōmune cessare dicitur, non corrigi, quia non extinguitur. Sic argumentatur Paulus Iuriconsultus, & ideo magis est ut suspensio quædam sit siue cessatio quandiu durat impedimentum contrariæ legum municipalis, & inepte dici per ius ciuile corrigi ius commune.

Argu. l. ubi res pugnantia. de reg. iur.

l. qui res suas. §. arcam. de solut.

In d. §. Arcam.

Accedit quod solius principis est corrigere ius commune, sicut & condere; hinc est, quisq; populus legem suam per aliam contrariam corrigendo extinguit nunquam redituram, & ius commune non extinguit, quia efficere non potest extincta sua lege, quin redeat ius commune. Confert illud Castrensis in l. i. C. de hære. insti. dicentis Ciuitatem Florent. non posse tollere ius cōmune, licet in suo territorio taliter offuscare & obumbrare possit quod effectum non sortiatur. Sequitur Alexander consi. lxxv. uol. i. Ad contrarias nunc II. accedamus.

Quod Bartolus ineptissimo titulo correctoriæ interpretationis prosequitur, in qua re quæstiones de uoluntate contra scriptum agitari solent: ipse quædam præcepta explicabo, per quæ speculantis animus dirigatur. Quintilianus præ cæteris subtilius docet duas esse species legum contrariarum. Vnam quando inter se pugnant quod altera ab altera abrogetur est necesse, ueluti si una prohibet id ipsum quod altera permittit, aut iubet; quinimo idem uere scribit, nūquam esse legem legi contrariam ipso iure, quia si diuersum iubeant, altera ab altera abrogatur, & una remaneat oportet, tum quæstionis est quæ seruanda sit lex.

Cōmune illud est, laboremus, si fieri potest, ne discrepare uideantur: deinde ut utraq; lex conseruetur. legē Quod scitis. de bonis quæ lib. putauit Bal. corrigi per autem. defuncto, quia posterior & indistincte loquitur, Roman. Bart. secutus per hanc regulā, quia fieri potest, ut utraq; lex seruetur, distinxit, ut Theodosiana lex locum uindicet quando agitur de separandis bonis maternis à paternis, & nepoti sine liberis intestato morienti in paternis paternus auus succedat, & maternus in maternis: Iustiniana autem constitutio. ut uterq; auus pariter in bonis aliunde quæstis succedat. Adiecitq; idem Rom. etiā si in lege posteriori scriptum sit, non obstante quacunq; lege in contrarium, nihilominus admittendam interpretationem per quam tollitur contrarietas. citat glo. de hære. quæ ab intest. in uerbum euacuatis & Bart. in comment. ad reprimendum in uerbū non obstantibus, extat Rom. consilium numero xl. Quod si fieri non potest, ut utraq; conseruetur, posterius lata utendum erit. Posteriores autē ex ordine scripturæ probari Bartolus recte putat. At si non in eodem uolumine scriptæ sunt, puta in uariis tabulas incisæ pro rostris pendeant, ita ut non liqueat, quæ prior, quæ ue posterior sit, tum conuolandum ad coniecturas. Verbi gratia, si una, alterius simpliciter mentionem faciat, posterior quippe necesse est ea sit, quæ alterius meminisset. Item posterior illa, quæ uetat, id quod iubet altera, aut promittit.

SIT LEX. Adulteram fratri occidendi ius esto. **ALTERA LEX.** Adulteram fratri occidendi ius non esto.

Fortissimum argumentū est, hæc quæ uetat, posterior sit; necessaria non erat lex, quæ prohiberet, si alia non præcessisset, quæ id ipsum permetteret, aut iuberet. Et bellissime in Rhet. Cic. inquit: Sæpe ea quæ uetat, quasi exceptione quadam corrigere uidetur illam quæ iubet legem; sin uero nullo pacto colligi potest quæ posterior sit, tum aut sese inuicem periment: aut si è Repu. fuerit ut una seruetur, illa seruanda est, quæ plenius prouidet.

Lex ictus & non plagas puniri iubet. Altera lex plagas & non ictus puniri iubet. Nec utra sit antiquior apparet.

Vno bidentis ictu, quidam plura inflixit uulnera. Accusatur de uulneribus. Obijcit reus diuersam legem. Cicero in Rhet. In puniendis delictis, inquit, maxime conseruanda est ea lex, quæ diligentissima est sancta & illam intelligit quæ nihil præterit impunitum, impeditq; legi fraudem fieri, aperit quippe uiam fraudibus lex quæ ictus puniri duntaxat uult. Idem Cicero: In comparatione legum illa maxime seruanda est, quæ sit utilior, quæ honestior, aut magis necessaria. Alia species est earum legū, quæ posita contrariæ non sunt, sed casu & euentu collidi,

Argu. l. i. ad municipi.

Ad hæc Bart. et doct. in l. si gemina. arb. fur. ces. et l. nunquā plu. de priuat. delict. et ibi Dy.

Eleganter Quintil. scribit. Et raro uel nunquam ultra sit posterior, hic quæri solet, quia secunda lex non fertur ad tollendam præcedentem. De rebus enim diuersis quæq; statuit.

SIT LEX. Tyrannicidæ imago in gymnasio ponatur **LEX ALTE**
TERA. Mulieris imago in gymnasio ne ponatur. Mulier Tyrannū occidit, petit imaginem suam in gymnasio poni: contradicitur lege, quæ uetat mulieris poni. Ecce quomodo suapte natura cōtrariæ non sunt hæ duæ leges, sed casu Tyranni à muliere occisi colliduntur. Nam nulla alia ratione mulieris imago in gymnasio potest poni per locum, quod Reip. interest etiam mulieres Tyrannis esse formidolosas. Doctor meus nonnullas hic controuersias disputat.

STATVTVM. Prætores pupillares soli de causis pupillorum, siue agant, siue conueniantur, ius dicant. **ALIA LEX.** Magistri hospitalium soli de causis hospitalium, siue agant, siue conueniantur, ius dicant. Litigant pupilli & hospitalis, præscriptiōe fori ex sua lege quisq; utitur; hic utriusq; legis collatio, ultra fauorabilior. Hospitalis pia causa est ad salutem animæ aptissima: at pupillorum haud impia & fortassis fauorabilior est, religionem & publicam utilitatē spectans, Iacobus Apostolus: Religio munda & immaculata apud deum & patrem hæc est, uisitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. in epistola prima. c. i. in fi.

Argumentum optimū in l. si quis in graui. §. utrū ad Syl.

D **l. i. c. quando Imp. inter pup. et uid. facit. c. i. de postul. Inno. in c. significanti- bus. de offi. de le. Panor. in c. iij. de cens. et d. c. significantibus. ubi dixit uiduas et pupillos diuites habitu miserabiles. et in l. ne quicq; §. obseruare inter debiles personas numerantur.**

Imp. inter miserabiles personas, pupillos connumerat, nec dedignatur in eorum causis se iudicem præbere; & quamuis non omnes pauperes sunt, diuites tamen ubiq; pauci, & pauperum infinitus est numerus, talisq; ætas per se ipsa digna fauore est. Accedit & reipub. ratio à Platone & Aristotele in libris de Rep. adnotata, admonent de pueris magnam curam habendam, ex his quoniam emergunt administratores rerum, propterea qui pupillos negligunt, haud minimam partem ciuitatis negligere. Hinc sapienter maiores nostri tutelas & curationes inter munera ciuilia computarunt. Hospitalium est, hospitali, & curare pauperes aduersus corporis agritudines & inopiæ difficultates: at pupillis adesse, est corporis & animi, bonisq; artibus erudire, quod plus est, & ad commoda reipub. in uiros formare, instituere, circa quæ tutorum diligentia uersari debet; ergo Prætorum pupillarium integra erit cognitio, quicquid hic alia ratione doctor meus definierit. Et latere non debet sub hoc genere etiam de contrarietate, quæ ex legibus oriri solent, tractari absq; eo quod leges plures inter se contrariæ sint, & sic ex legibus non contrarijs casu nascuntur contrarietates, ideo siue una sit lex, siue duæ uel plures, contingere possunt contrarietates, etiam illa una, si una uel pluribus partibus distinguatur. De duabus uel pluribus legibus contrarietates quomodo nascantur, patet exemplis supra positus, & infra dicemus. Patet plenius ex contrarijs quæ colliguntur ab Accur. & alijs glossatoribus. Ex una lege contrarietas nascitur cum unus nititur legis parte, alter rursus alia.

Rapta raptoris aut mortē, aut indotatas nuptias optet. Vnus eadē nocte duas rapuit. Vna raptarum petit nuptias, altera mortem. In hac controuersia quæ à ueteribus scripta offenderim, operæpretium duxi breuiter recitare, ut omnes intelligant quàm subtiliter, copiose, ac perlucide excutere singula solebant, & propterea eorū scripta non aspernanda. Pro puella quæ nuptias optat, Pompeius Sylo hæc dixit: Altera ex puellis raptorē seruari uult; Altera mori uult. Reum alter Iudex damnat, alter absoluit inter dispares sententias, mitior uincat. Porcius Latro declamator illustris dixit: Nempe lex duas pœnas scripsit uitiatori. Alteram passurus est raptor, non erit impunitus, habebit pœnam indotatam uxorem. Prior rapta, in optione præferenda est, nec alterius iniuria labefactare ius suum debet. Idem Latro quatuor fecit quæstiones. Primam, an qui à rapta mori iussus sit, seruari

Auari possit: Secundam, an rapta quæ nuptias optat, præstare possit, ne pereat. Tertiam, an cum quod utraq; optat fieri nō possit, ea præualeat optio, quæ utriusq; præstat ultionem. Quartam si non potest utriusq; rata esse optio, an quæ dignior admittenda sit. Redeundo ad primam q. seruari non posse probat per locum à maiori, etiam si Reipu. interesset seruari, omnino moriendum esset, dicens si legatus exire debet, peribit; si militare debet, peribit; si legem dicere oportet, peribit, si raptam ducere debet, æque peribit. Si is ante rapuisset, et rapta nuptias optasset, in terposito deinde tempore, antequam nuberet, hanc uitiaisset, negares illum debere mori, rapta iubente. Atqui nihil interest, nisi dignior est raptor morte, cuius inter duos raptus ne una quidem nox intercessit. Si rapta nupsisset, deinde post tertiam diem rapuisset aliam, negares illum mori debere. Atqui quid interest nisi quod honestius tunc maritum defenderes, quàm nunc raptorem defendis.

De secunda quæstione sic dixit. Rapta quæ nuptias optat, nihil aliud raptoris præstare potest, quàm ne sua lege pereat, contra alienam legem nullum ius habet. Optasti nuptias, non occidetur tanquam raptor tuus. At idem eadem nocte qua te rapuit stationem deseruit, fuste ferietur. Si sacrilegium fecerit, occidetur. Licet tu dicas, quid ergo non nubā? Tu raptoris præstas, ut illū ipsa non occidas, sacrilego non potes præstare, ne quis occidat; quomodo sacrilegus quamuis à te seruatus perierit, sic alterius puellæ proteruitate seruatus peribit, si rapuisset te.

Nota differentiam inter tractatum et argu. leguleis incognitam.

De tertia quæstione sic dixit: Cum quod utraq; optat fieri non possit, in ea eligendi sit optio, qua ultio ad utranq; peruenit. At si mortem optat, mea optio te uindicat, tua me non uindicat. Si non morietur, non mihi seruabitur, sed tibi. In quarta quæstione illud tractauit, inquiens, Si hæc uia impunitatis monstretur, ut qui plures rapuisset, tutior esset, neminem non inuenturū aliquam humilem quæ se in optionem commodaret. **TRIA RIUS,** Perieras raptor nisi perire meruisset. **FVSCVS AREL.** hanc quæstionem primam fecit: Duas rapuit: an perire utiq; debeat. Lex, inquit, quæ dicit, Rapta, raptoris aut mortem aut nuptias optet: de his loquitur qui singulas rapuerint. Non putauit quenquam futurum, qui una nocte raperet duas. Non quæro quid optetis, sed quid seuerissime optare potestis. Necessè est raptorem mori, utranq; enim ducere non potest, uterq; mori potest. Quare dicam aut nuptias optabunt, aut altera mortē, altera nuptias. Si nuptias optauerint, non poterit fieri quod utraq; uolet; uno modo poterit fieri quod utraq; uolet, si utraq; mortem optauerit. Hic etiam tractauit, ne exemplū quidem utile est hunc morem perniciosissimum ciuitati introduci, ut aliquis propter hoc non pereat, quia perire sapius meruit, & in hæc diuisit, ultra optio honestior sit, ultra iustior, ultra utilior. Item ex uno legis capite nasci potest contrarietas, ut ille qui fortiter fecerit, petat præmium quod uolet. Duo fortiter fecerunt, petit præmij nomine unus illum qui reus factus fuerat proditiōis ante iudicium liberari. Alter petit ut peragatur iudicium. Ecce contrarietas ex diuersa petentiū uoluntate. In his non potest esse alia quæstio secundum Quintil. quàm temporis, ultra prior, aut qualitatis, ultra iustior sit petitio: conflagunt etiam impares si cōparentur. Tyrannicida & uir fortis utriusq; data quod uelit petendi potestate. Hic meritorum præmij temporis collatio fit. Item impares sunt, cum alteri multa optari possunt, alteri nihil nisi quod in lite est, ut cum uir fortis impunitatem desertoris petit, utrum præstari debeat est in lite impunitas desertoris, num quicquid libuerit, optare liceat. In concessio autem ex utraq; parte iure hæc ferè quaruntur, ultra lex potentior an ad deos pertineat, an ad homines, an ad Remp. an ad priuatos. De honore, an de pœna, de magnis rebus an de paruis permittat, an uetet an imperet. Solet tractari ultra sit antiquior, sed uel potentissimū, ultra minus perdat. Plurimum tamen est in hoc, utrum fieri sit melius atq; æquius, de quo nihil

Lib. vij.

C præcipi nisi præposita materia potest. hæc Quinti. Et obserua potentio- rem intel- ligi legem, quæ ad deos, ad Remp. ad honores, & res magnas pertinet, & quæ ue- tat uel imperat hoc idem in l. iij. de suspec. tut. Dy. & Bartolus dicunt, Præualere regulam quæ prohibet ei quæ permittit. Idem Bal. & Fulgosius in l. si Rufinus. C. de nul. test. Imò ualidior est lege iubente ea quæ uetat, ut mox ex uerbis Cice- ronis apparebit. Lucidius & plenius in Rhetoricis Cicerò hæc tradidit documē- ta. Primum considerandū, inquit, utra lex ad maiores, hoc est, ad utiliores & ho- nestiores ac magis necessarias res pertineat. Ex quo cōficitur, ut si leges duæ aut plures, aut quotquot erunt quæ conseruari non possunt, quia discrepent inter se, ea maxime conseruanda putetur, quæ ad maximas res pertinere uideatur. Dein de utra lex posterius lata sit, nam postrema quæq; grauissima est. Nota ex senten- tia Ciceronis, quoties lex legi ad eò contraria est, quod una tantum seruari possit, illa seruabitur, quæ utilior aut honestior, magis uel necessaria sit, quàm quæ poste- rius lata sit, ad eò quod posterior contraria, non uidetur abrogare priorem, quæ utilior aut honestior magis uel necessaria sit. Hanc Quintil. potentiorē nominat: & ea fortè ratio est, quod posterior lex tacitæ uoluntatis coniectura priorem con- trariam legem tollere uidetur: uerum sicut absurdum & innaturale est minus uti- lem legem anteponi utiliori, ita nō uerisimile est posteriorem inutilem anteponi legislator uoluerit priori quæ utilis est, uel honestior, uel necessaria: in rebus no- uis constituendis, euidentis utilitas esse debet, Vlpianus ait. Hoc idem censuisse Bartolum offendi in cōmentarijs ad reprimendū, scribit enim noua lege non abo- leri ueterem, quæ utilitate & fauore est maior, probatq; illa constitutione, qua om- nes præscriptiones generaliter contra minores tolluntur: non tamen per eam effici dicit, quo minus præscriptio triennalis instantiæ in causis minorū locum ha- beat. Antiquiori quamuis id lege caueatur, & illa ratione posteriori præfertur, quod publicam hæc respicit utilitatem, illa priuatam, ergo non semper posterior lex contrariam quæ præcedit, corrigit. Adde Bal. consi. i. statuto hesten. scri- ptis de duabus legibus contrarijs, illam eligendam quæ minus habet absurditatis, minusq; à iure cōmuni recedit, Subiungit Cicerò deinde, utra lex iubeat aliquid, utra permittat, nam quod imperatur necessariū est, illud quod permittitur uolun- tarium est. Deinde in utraq; lege si non obtemperatum sit, pœna afficiatur, aut in utra maiori pœna statuatur: nam maxime conseruanda est ea, quæ diligentissima est & sancta; deinde utra lex iubeat, utra uetat, nam sæpe ea quæ uetat, quasi exce- ptione quadam corrigere uidetur eam quæ iubet. Deinde utra lex de genere om- ni, utra de parte aliqua, utra cōmuniter in plures, utra in aliquam rem certā scri- pta uideatur; nam quæ in partem aliquam, & quæ in certam aliquam rem scripta est, promptius ad causam accedere uidetur, & ad iudiciū magis pertinere. hæc Ci- cero. Fortior ergo lex est, quæ de parte scripta est, quàm quæ de genere: uerbo partis intelligit speciem. Cicerò mauult in Topicis partem aut formā dici quàm speciem. Item fortior est quæ de re certa loquitur lex, quàm quæ de genere uel spe- cie. De genere & specie Victorinus sic interpretatur, Melior est lex, inquit, de specie scripta, quàm quæ communiter; & est communiter, inquit, ut hominem occidere ne liceat, specialiter uirum fortem occidere non liceat. Et rem certam Cicero intelligit pro eo quod indiuiduum uulgò dicitur. Simile documentum dedit Bal. dicens, Paruum genus derogat magno, & indiuiduum derogat utriq;. Indiuiduū esse dicit, quod prædicatur de substantia, ut Stichus; uel qualitate, ut pu- pillus, & infert ad quæstiones. Sit statutum: Priores artium sententias pro pupillis exequantur. Aliud statutum: Potestas sententias centum aureorum exequatur. Quis ergo executor est centenariæ sententiæ pro pupillis: Bal. cum putat qui specialior est, ut eius uerbo utar, ad quod agnoscendum, inspiciendum dicit

In uerbum
non ob.

D
l. si. C. i. quibus
Cau. in inte.
Res. l. nō est. n.

In l. properan-
dum. de iud.

A dicit qualitatem, quæ potest pluribus competere generalis est: quæ uni soli com- petit, specialis. Hinc igitur quod qualitas centenariæ summæ potest sine ætatis di- scrimine omnibus competere, & pupillaris conditio non, nisi quibusdam. Iudex ergo huic ætati datus exequetur: ratio ex suprascriptis, quia lex in partem siue speciem scripta potentior est: accedit huic imbecillis ætatis fauor. Idem Bal. Ra- tio personæ maior est, hominum enim causa res sunt & iudicia. Statutum: Po- testas de causis hospitalis misericordiæ ius dicat. Idem Bal. refert Iacobū de Are- na dicere indiuiduo datum iudicem, attento loco cui impenditur fauor Dy. in re- gula generi. Statutum: De causis hospitalis misericordiæ solus Prætor ius dicat, siue agat, siue conueniat. Aliud Statutum: Solus Vicarius de causis de- cem aureorum ius dicat. Bar. scribit Prætozem de illis causis hospitalis ius dictu- rum, quarū cognitio specialiter lege, alteri non est mandata. Pugnat hæc finitio cum suprascriptis. Statutū: Potestas de testiū falsitate, intra mensem inquirat. Aliud statutum: Potestas de omnibus falsitatibus in decem annis possit in- quirere. Poterit ne potestas de illa testiū falsitate post mensem inquirere, cōsul- tus Bar. respondit non posse, quia generi per speciem derogatur, & permissum ad tempus, uidetur prohibitū post tempus. Extat consiliū Bar. C. à Domino Cy- no, tamen si Bar. nimis ueneranda sit autoritas, non dubitare non possum de hoc eius respōso per quod uerba de omnibus falsitatibus superuacua efficiuntur. Con- firmat me ratio publicæ utilitatis, quæ uersatur in puniendis peccatis, ne de falsis testiū inquirendi potestas nimis angustetur. Nec releuat quod accusatoribus facultas remanet illibata, cum quod conducat Reip. plures patere uias ad facin- ora persequenda, tum quod accusandi usus iam diu penè discessit ex aula. In foren- sibus disceptationibus propè consenui, nec unam quidem unquam uidi accusa- tionem agitari: infinita quippe maleficia irent impunita, & ad scelera homi- nes essent audaciores, si solæ accusationes formidandæ essent. Adde falsitatis scelus ad eò esse legibus infensum, quod generali reorum abolitione falsi crimen Modestinus respōdit non aboleri. Propter quod eleganter Barto. censuit statuto de carceratis liberandis, uel proscriptis restituendis, ob falsi crimen carceratos, aut proscriptos non restituendos. Igitur cogita an distingui possit, si antiquius sit istud generale statutū, in decem annos de omnibus falsitatibus licere inquirere, & posterius hoc de falsis testiū, intra mensem inquirendis, quia regulare est ge- neri per speciem derogari. Locus sit Bar. responso, nisi obstiterit ratio publicæ utilitatis, per quam ex Ciceronis & Bartoli proxime relata sententia potentior sit lex quæ præcedit: sin autem uetustius sit statutū hoc speciale falsorum testiū, & illud de omnibus falsitatibus posterius, subsisto, & fortassis non reprehensibi- le, fateri etiam post mensem posse inquiri, ne uerbū de omnibus frustra sit dictū, publiceq; interest inquiri, & illud concessi ad tempus, post tempus uideri prohi- tum. Quia à contrario argumentum contra publicam utilitatem non solet recipi in statutis secundum Bald. neq; est perpetuò uerum. Nam statuto iubente cau- sas intra annum iudicari, etiam post annum ualide iudices iudicabunt, modo non excedant triennium, Cyno, Bar. & Bal. autoribus, hocq; iure utimur. LEX. Imperator, de postulando, quam citat Bartolus, loquitur de prohibita ad tem- pus aduocatione, quæ suapte natura semper est permissa, nimirum si post tem- pus licebit aduocare, & non ex tacita prohibentis uoluntate, sed quod ui sua unū quodq; facile redit ad suā causam, alioquin prohibito furari ad tempus, post tem- pus nō illicitū esset furari: nec eadē ratio est permissi & uetiti, ut supra à Cicerone didicimus; & omnes aliæ leges, quibus nititur Bartolus, habent suas proprii fa- uoris causas. Et hæc disputatiōis dicta sint gratia, rem alterius occupare ne liceat. Quidam à mero possessore occupauit, accusatur. Excipit reus legem in eum

In l. in sacris.
C. de prox.
sacr. scri.

l. luitius ad
turp.

C scriptam, qui rem alterius, id est, domini occupat. Merus possessor non est dominus. Bar. hanc quaestionem fecit in commen. ad digestū de. n. o. n. mouere dubitationem dicebat quod statutorū uerba proprie accipienda sunt; & genitiuus nō abusiue dictus domini est significatiuus. atq; directi potius addit Alexander. Subdit tamen Idem Bartolus ex cōmuni usu loquendi res alterius dici, etiam eius qui tantum possidet. Alexander & Iason admittunt opinionem Bartoli, si constiterit de cōmuni usu. Raphaël Comen. simpliciter cōtradicit. Immola quoniam statutum est poenale, & ideo odiosum, à proprio significato scilicet domini non recedendū tradidit, nisi qualitas personae loquentis, aut materia de qua agitur aliud suadeat, ut in colono qui si fundū suum asserat, intelligitur ratione culturae. Romanus in utranq; partem disputat. Castren. inclinare uidetur, occupans sit dominus uere uel praesumptiue. Butrius simpliciter scribit Statutū etiam ad possessorem pertinere. Bal. Statuto, si quis offenderit in re alterius tradit, non includi colonū. Spec. in simili propè quaestione simpliciter admittit etiam possessore nulla de cōmuni usu facta mentione. Nimirū, dicit Alexander, quoniam Spec. aperte loquitur de possessione, aduerte animū. Speculatoris uerba sunt haec: Pone Statutum de damno dato, stetur iuramento domini possessionis. Proculdubio aliud est dicere dominū possessionis quam possessorem. Nam possessor possessionis fundi possessor est. Possessionis autē dominus fundi intelligitur dominus. Obseruauit Alexander uerbū possessionis, non autem uerbū domini. Quid dicendū? Doctores confuse loquuntur. Mihi autē uidetur alia sit inuestigatio, cui cōpetat actio uel accusatio. Alia utrū poena sit cōmissa, nihil impedit quo minus consistere ista simul possint, ut poena sit cōmissa, & accusator non sit audiendus; uel quia non dominus, aut possessor. Considero idcirco diuersos casus. Interdū is à quo res occupatur est dominus & possessor. Interdum is à quo occupatur simplex possessor. **D** Alius est dominus, & alius occupator. Interdum is qui occupat est dominus, & is à quo occupatur est simplex possessor, indeq; distinguo, aut quaerit de sola poena, aut quaeritur cui cōpetat actio uel accusatio. Poenam cōmitti omni casu, quo is qui occupat non est dominus, mihi persuadeo, quoniam uera est haec enunciatio, occupata est res alterius, si non est occupantis, siue fuerit dominus siue possessor, siue conductor, uel colonus is à quo occupata est, & poena quae à lege imponitur, mox quod contra legem sit, cōmittitur sine iudicis ministerio. Si quaeritur cuius sit actio, & huc tendunt uariae doctorū opiniones. Me uero plus ad dubitandum impellit quod quaestio de eo sit, quod dubitationem non uidetur habere. Sed aperti & indubitati iuris esse, Vlpiano autore, Praetor ait, cuius rapta bona esse dicentur, eidem honorū raptorum intra annum in quadruplum, post annum in simplum iudiciū dabo. Vlpianus sic interpretatur ea uerba cuius bona &c. Si uere cōmodata res sit, siue locata, siue pignorata, siue deposita apud me sit, siue bona fide à me possideatur, siue usumfructum habeam, siue aliud ius, ut intersit mea non rapi, dicendum est, competere mihi hanc actionem. Haec species à proposita quaestione non uideo in quo discrepet, nisi scrupulosus aliquis dixerit, illic ex edicto Praetoris, hic ex municipalī lege agi. Attamen frequentiori autorum calculo, obtinuit diuersam interpretandi rationem non esse edictorū & nostratum statutorum. Ex quibus palam esse non dubito, & mero possessori, & alij cuius intersit rem non occupari, actionem, siue accusationem cōpetere. Pro possessore, ex uerbis statuti lucidissime sic argumētari posse arbitror, etiā circumscripto cōmuni usu loquendi, de quo multa uerba effunduntur. Lex ait, si quis rem alterius occuparit. Noto mihi uerbum rei, quod est generale ad omnia corporea & incorporea, & in dubiū est hoc proloquiū: Qui possessionē alterius occupat, rem alterius occupat, etiam meri possessoris: Ergo statutum proprie possessori competit. Quod si uerum

A uerum non esset, cōsequens foret possessionem rem non esse. Verum maioris pugnae est, nunquid possessor aduersum dominum occupantem cōditionem ex eo statuto habeat. Solus Castren. mouet & scribit, si occupans est dominus, poenam non cōmitti intelligitur inquit alterius quam occupantis, & satis esse alijs poenis teneatur. Caeteri doctores simpliciter inter se contendunt, cui actio competat, de hoc articulo nullum uerbū. Pro Castren. Vlpiani uerba sunt haec: Si quis, inquit, rem suam rapuerit ui quidem bo. rap. non tenebitur, sed aliter multabitur. Sed si quis seruum fugitiuū, quem alius bona fide possidebat, rapuerit, aequè hoc actione non tenebitur, quia rem suam aufert. Contra Castren. uiget suprascriptum argumentum quod rei appellatione possessio continetur, & qui possessionem alterius occupat, rem sanè alterius occupat, & quoniam nullius magis est possessio, quam possessoris. Dominus ergo fundi si possessionē à possessore occupat, rem certe alterius occupat, nec nouum unus eiusdem rei sit dominus, alius uerus possessor, alioquin rei uendicatio superuacuo inducta & tot edicta interdictaq; possessoria fuissent, quid statuendum sapientes definiant. Postremo operapretium esse censui, nonnulla de cōmuni usu loquendi & genitiuorum natura attingere, de quibus multis inter se ambagibus Doctores altercari uidemus. Omissa Baroli distinctione, id differre arbitror. cōmunem usum loquendi à significato proprio, quo causa efficiens ab effecto & quaeq; significatio propria, & impropria capiatur esse à cōmuni usu. Flaccus in poesi; Multa renascentur, quae iam ceciderunt, quae nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus, quem penes arbitriū est ius & norma loquedi. Huius Flacci autoritate R. glossator dixit, Cōmunis usus omni regulae, omniq; constitutioni in exaudiendis sermonibus derogat solus, quod omnes probant, & in primis Bartolus. Vlpianus tradit uocabula rerū esse immutabilia. Seruius Sulpitius ex cōmuni usu & non singulorum accipienda & immutabilia uidentur à significato, quod cōmunis usus indidit, & intelligo immutabilia facta & usu priuatorum; constitutione autem principis ac usu cōmunis proculdubio nouantur. Diuinus Plato in Cratilo docet principis & legumlatoris esse, apta nomina rebus imponere. Iusti. Imperator cōmutauit nomen donationis ante nuptias in appellationem propter nuptias. Labeo meminuit suppellectilis significationem cum moribus fuisse mutatam. Nec iuuat à legumlatoribus imponi, nisi cōmunis usus excipiat. Nimirum quoniam non aliud est communis usus, quam tacita quaedam lex populi, & propterea optimus uerborū interpret & nominum constitutor est. Bal. consi. xxxij. ij. lib. respondit, usum adinuenisse uocabulorū significationes. Idem consi. lxxvij. per cōmunem usum loquendi recedi à subtilitate uerborū; hinc dotata, inquit, dicitur ante matrimonium, cui relicta est dos; at non illepidae inquisitionis est, an peritorū uel imperitorū, & an peritorum simul & imperitorū usus probandus sit. Alexander Tertius Papa rescriptit recte intelligentiū usum sequendum. Bal. fugiendum intellectū uulgarium insonet, et peritorum amplectendum. Quintil. Cōsuetudinem sermonis uocabo consensum eruditorū, sicut uitendi consensum bonorum. An fortè clarius dicendū, in uerbis uulgaribus uulgi usum tenendū, Cyno autore, qui crasse dicta, crasse intelligenda esse, perlepide dixit. Sermo autem perite dictus peritorum censura explicandus sit. Nam illud in omnibus artibus peculiare est, ut ad iudicium peritorum recurratur. Genitiuorum nullam autumo propriam significationem esse, sed uariam et instabilem. Et quamuis Vlpianus uerbum alterius de dominio dictum scripserit, quod ad differentiam bonae fidei possessoris dixit, cuius nihil intererat locus si religiosus fieret, alioquin contrarium dixisse uideretur, ibidem dicendo, non solū domino, uerum etiam usufructuario atq; ei qui seruitutem habet, actionem competere, & ex edicto bo. rapto. Idem Vlpianus tradidit actionem com-

in Rubri. de noui operis num.

in l. praetor. §. in ac. iii. bo. ra.

in l. labeo de sup. leg.

c. ex literis. de spons.

In l. i. C. de seru. uis sug. et l. i. de succ. edicto.

Cpetere ei etiam cuius quoquomodo interesset. Infinita passim in utriusque iuris edicibus exempla offendunt, per quae liquet instabilis significatio esse genitius, quam doctores admirant instabilitate, variationis aut causas non considerant. Genitius casus dicitur ab eo quod uim gignendi habet, sic genitius humor, genitua mulier. Nec ex se aliquid sine adiuncto significare potest. Nam haec uox, alterius illius, istius &c. infantissima est, nisi quid iungas, adiuncti enim coitione, ueluti foemina iuncta uiro gignit, uerbi gratia, alterius amor, istius seruus, illius dominus, Titij filius, Sempronij pater, Ciceronis liber, & hoc ambiguu, quia potest esse Ciceronis, quia autor, aut quia dominus, aut possessor; et recte Stichus dominus dicitur, quod si genitius significat dominu, Stichus seruus utique esset dominus domini, Rex Gallorum, Rex Hispanorum; Galli ista ratione & Hispani dominari suis regibus, dicerent. Item ager coloni, fructus agri, uuae uinae. In his & id genus reliquis nulla potest esse domini significatio; & sicut foemina non sibi, sed marito gignit, sic genitius uis maritae rei cui iungitur gignit, & ab ea re significatu accipit. Recte ergo Raphael & Imola & ante eos Bart. dixerunt, aliquando genitium intelligendum secundum subiectam materiam, sed melius dixissent semper, quonia res quae iunguntur sunt uariae & infinitae. Non iniuria genitiuorum nullam fore propriae significationem dixi sed instabilem, uariam; non inficior tamen genitios in dubijs ad dominum referri posse, magis tamen per antonomasia quam uis sua, quod non aliunde est nisi quod uerba semper ad id quod potius est, in dubijs referenda sunt. Bal. in l. filium infra de his qui sui sunt uel al. iu. in primo notat, semper indefinita locutio assumi sibi quamnobilissimum significatu potest, nisi mens loquentis aliud sentiat. Legos filio Titij seruo Sempronij, Bal. & Alexander tradunt ex uis genitui legati contemplatone patris, & ideo profectiuu, item & domini factu uideri, uereor enim defendi, ne ualeat magis a nuncupatione patris & domini id colligi. Quid si ita legasset? **D**lego Caio quem genuit Titius, uel sic, cuius pater est Titius. Nunquid isto modo minus erit profectiuu legatum? non uideo, nisi demonstrationis causa patris mentio facta esset, quae uis nec genituis est denegata. Vtrum autem legatum filio factum patris amore censeatur, Doct. tractant, & in primis Alex. in l. sed si plures. §. in arrogato. de uulg. & pup. sub. Lex: Defuncto sine filiis ab intestato succedant pariter germani fratres etiam non uterini, exclusis sororibus. Titius decessit intestatus superstitibus matre & germana sorore, & non uterino fratre. Legatur de quota successiois. Et ideo inspiciendum cui quaeritur exclusae sororis portio, deinde quota ea portio sit. Respondi ex sententia Bart. omnibus probata, fratri deberi totam, cuius contemplatione soror ipsa excluditur. De secundo quaestio est uoluntatis; quidam respondit fore semissem ea ratione quod constitutio tollat lucrum sororis, & non lucrum matris, sed matris erat semis & alter semis sororis uterinae, quae lex municipalis a sorore transfert in fratrem, remanere ergo debet matri semis suus integer. Ad hoc dicebam, Statutum duo facere, unum quod tollat differentiam uterinorum, ita quod omnes fratres tam uterini quam non uterini pariter inter se succederent, siue extent siue non extent sorores, & hoc gratia seruandae inter fratres aequalitatis, ut fraterna charitas solidaretur extirpata discordiarum materia, quae ex ipsa inaequalitate oriri solent, & hac ratione nihil ultra contem mater similiter & soror capere possunt. Alterum est quod fratrum gratia excludit sorores, ut haereditates remaneant in familia. Ergo si hoc capite soror excluditur, non debet id matri cedere, sed illis qui sunt in familia, quorum gratia sic est constitutum. quod si mater particeps fieret, esset contra legis uoluntatem, quae uult haereditates ad masculos confluere: ex quibus liquet, legem non tollere lucrum matri, sed impedire ne quaeratur sublata uterinorum differentia. Et ideo respondi fratri bellem, matri trientem deberi.

FINIS.

PRESBYTERO, CARDINALI TITVLI SANCTI
MATTHAEI, MARIVS SALOMONIVS AL
BERTISCVS ADVOCATVS CON
SISTORIANVS.



MORTATVS a Leone Pont. Max. sapientissime ac religiosissime Egidi, in libros Digestorum exactiore interpretationem facere, ingenio mei excitauit aculeos, altius quaedam repetere, quae a doctoribus nostris aut ommissa sunt, aut non examissim pensculata. Et quo impensius recogitando institi, eo solentiori indagatione, & ad manus usu commoda uisa sunt, ut pulcherrimus hic de Voluntario & inuoluntario locus, qui quod ubertim philosophiae fontibus irrigatur, tuus penè totus esse uisus est. Ideo castissime tuae limae subiiciendum duxi, quamuis non ita totus tuus sit, quin Iurisconsultorum sit etiam, quorum censura castigari coercerique solent errata. Opus ergo sanctissimo Leoni destinatum, nunc uero Clementi septimo, eius in diuinis & humanis iusto successori dicatum, non audeat tantam adire maiestatem, nisi exactissima tua praestituastrutina. Neque iniuria tuum tantopere praerudicium praestolamur, quod diuinarum humanarumque rerum peritissimus, concionatorque disertissimus, his et augustioribus studiis delectaris, quodque aliquid Cardinea dignum toga semper meditaris, legis, scribis, cum sapientibus omnium disciplinarum uiris, a quibus tuae frequentantur aedes, hemicycli ornantur & mensae, quotidianis disputatiunculis manus conseris, colligis: in his post sacras & publicas res inuigilant tuae uigiliae, reponitur somnus, exercentur conuiuia & confabulationes: hi denique tui sunt sales, ioci, deliciae. Te igitur obsecro obtestorque, qui in partem laboris uocatus es, ut abducto a sacris meditationibus interdum animo, iterum atque iterum pro tua humanitate relegenda corrigas. Tanti enim tuum iudicium facio, quod a te probata sacrarium diuini Clementis adibunt audacius, & aliorum nasum non formidabunt: probas se autem tum caetera uideberis, cum quaedam notasse cognos uero. Vale.

f 4

In l. ij. §. uidentur. ff. ad tutel. et l. seruo legato. de leg. i. tex. in l. fidei commiss. §. interdum. de leg. iij.

Argu. l. cum oportet. §. i. et §. sin autem. C. de bonis q. lib. et l. cum pater. §. euictis. de leg. ij.

DE LEGIBVS.

PAPINIANVS.



Lex est commune præceptum, uirorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte uel ignorantia cōtrahuntur, coërtio, cōmunis reipublicæ sponſio.

Hæc Papiniani cū non satis plena definitio Martiano uisa fuerit, qui de notis Papiniani libros scripsit, sunt quædam delicta uoluntaria, quæ non sponte fiunt, ideo alias duas definitiones recitat, unam Demosthenis, alterā Chrysippi di-

cens. Nam & Demosthenes orator sic definit *ἡ πῶτ' ἐσιν νόμος ὁ πάντας προσήκων εἰθεῖσθαι διὰ πλά, καὶ μάλιστ' ὅτι πᾶς ἐσιν νόμος εὐρημα μὴ καὶ δῶρον δεῖν. δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπαυρόθωμα δὲ τῶν ἐκστῶν καὶ ἀκροῖων ἀμαρτυμάτων, πῶλεσθε δὲ συνθήκη κοινῇ, καὶ ἢ πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν πόλει.*

Id est, lex est cui omnes homines decet obedire, propter multa & uaria, & maxime quod omnis lex est inuentio quidem, et donū dei, dogma autem hominum sapientum, coërtio autem uoluntariorum & inuoluntariorum peccatorum, ciuitatis compositio communis, secundum quam omnes decet uiuere qui in ciuitate sunt.

Hæc est prima definitio, & primū caput huius legis, de quo nunc dicendū est. In uulgatis codicibus hæc lex habet duas lacunas, unam in primo, alterā in secundo capite, quarū primam G. Budeus Parisien, uir alioquin græce & latine peritissimus, repleuit grecis literis, quæ desiderabantur ex oratiōe eiusdem Demosthenis in Aristogitonem; secundā repleuit A. Alciatus iuriconsultorū consultissimus, utraq; lingua literatissimus, ex lib. de II. Chrysippi Stoicorum principis. Hæc Demosthenis definitione institui, summam omnium delictorum in duo genera de-

duci, quod quædam uoluntaria sunt, quædam inuoluntaria. Obserua ergo, quod non uolens peccare quis potest. Et quod stupidius est, qui non uolens peccat, interdū peccatæ sit obnoxius; & ideo ait, Lex est uoluntariorū, & inuoluntariorū peccatorum coërtio. Inuoluntarie ergo interdū delinquitur, & inuoluntaria delicta coërcentur. Hinc peregrina de uoluntario & inuoluntario sese nobis offert inuestigatio, iuris peritis ac legislatoribus per necessaria ad præmia pœnasq; cōstituēdas. In uoluntariū, autore Aristotele iij. Ethicorū, est quod per uim, uel per ignorantia fit: quod ergo neq; uolens neq; ignoranter fit, uoluntariū sit est necesse. Violenti duæ sunt species, unum simpliciter uolentū dicitur, alterum secundū quid; nostri absolutum unum, alterū conditionale non inepte uocant. Violentū simpliciter siue absolute definitum esse, quando in nobis non est utrum agamus uel non agamus, sed extrinsecus prouenit; ut si uentus nos aliquò deferat, aut præpotens hominū uis compellat, ut de illis sacerdotibus agitātū fuit in concilio Anchiritano, quorū manus uolenter sacrificijs idolorū admotæ fuerunt. Violentū itaq; simpliciter dici tradit quando externa causa est, nihil cōferente illo, cui uis fit: quo casu nullum peccatū, neq; pœna neq; laus neq; uituperatio. Secunda uolenti species mixtam habet causam, quia non omnino inuoluntariū, & ideo in pecuniarijs uis illata non inficit actum, Puta quid ui conuentū, promissum, datum uel acceptilatū, sed locū facit rescissorio edicto quod metus causa. In flagitijs uero alia est cōsideratio: uerbi gratia, iustus es à tyranno occidi, nisi innocentē occidas, aut quid aliud turpe facias, si non feceris pereundum est tibi, si parueris num noxa solutus sis: Decisio tota pendet ab eo, utrum sit uoluntarium uel inuoluntarium.

Mixti sunt hi actus, sed magis similes uoluntarijs, inquit Aristoteles, quoniam in electione ipsius est quid agat, & quod agens uolens hoc agat, sic docet, quarū rerum

Inuoluntariū.

Exemplū in l. Cesar. et l. interdū. §. si propter. de publicanis.

A rerum in ipso principium est, in eo quoq; est, utrum agat, uel non agat: sed principium mouendi organicas partes, in ipso est qui mauult occidere quam occidi, ergo uolens occidit, etsi non sponte facit, attamen uolens facit, sicuti ille qui leuandæ nauis causa iactum in mare facit: porro nemo nisi impellente necessitate facit, tamen uolens iacit pro sua salute contra uim tempestatis. Similiter in ipso est qui torquet, fateri & non fateri: profecto præeligit fateri quam torqueri. Non opus est recensere ueteris constantiæ miracula, quæ diligens refert antiquitas, cū quotidie experiamur multos noxios, obstinatis animis omnes tormentorū cruciatus superare: pleriq; ita tormenta contemnunt, ut extorqueri ab eis ueritas nullo modo possit: alij tanta sunt impatientia, ut in quouis mentiri quam pati tormenta uelint. hæc Vlp. Qui ergo fatetur, quis sponte non fateatur, quæstionibus uictus, uolens tamen iure fateri dicitur, obstringiturq; ea cōfessione legitima, modo præcedant indicia. Vere ergo Iul. Paul. respondit, coacta uoluntas est, & ideo hæc dem fieri qui coactus adit; & qui sacros ordines inuitus sic suscipit, characterem indelebiliter recipit secundum Theologos & Hostien, in summa.

Hinc est quod contractus & cætera ui facta, ipso iure sunt ualida, licet rescindi queant. Excipiuntur tamen multi casus, in quibus libera uoluntas omnino exigitur, ueluti matrimonium, quoniam coacta uoluntas quamuis uoluntas sit, non tamen libera uoluntas est. Ex hisdem etiam obserua quomodo inter se discrepent, uoluntarium, & id quod sponte fit. Sponte facere dicimur, quæ ultro, nullo cogente facimus; & non sponte quæ coacti facimus. Propter quod bellissime tabeliones admonet Bal. tortum reum ne scribant sponte confessum; quia falsum scriberent; quamuis recte scribant uoluntarie confessum. Vera est itaq; hæc conclusio, quod metu quæstionū qui fatetur uolens, & non sponte fateatur, & uoluntarium non semper excludere inuitum, & idcirco uerbum esse ambiguum.

Ad propositam quæstionem redeundo, Peribis nisi occidas, Cynus refert Petrum quæsisse de tali specie: Habens uxorem suspectam, imperat seruo eam occidat, alioquin peribit; seruus occidit, an excusetur? & putauit excusari ea ratione, quod aliter tueri se non poterat. ar. l. scientiam. §. qui cum aliter. ad l. aq. Aduerte quod non eadem causa est defendentis se aduersus aggressorē, & obedientis turpia imperantibus. Vlpianus scribit seruitū non delinquere, qui domino obtemperat. Rursus idem meminit legē XII tab. nolle in huiusmodi rebus obtemperari dominis, & lege Aquilia ignosci his qui dominis obediūt, perituri si non paruerint. Accursus dixit, serui nullum delictum esse qui inuitus paruerit, periturus si non paruisset. Hæc Accursij opinio repugnat legi XII tab. quæ obtemperari non uult. Item legi Aquil. quæ uult ignosci. Si nullū peccatū serui est, ut Accursio placet, frustra lex Aquil. statuit ignoscendum. Bar. putat seruum excusari in leuioribus si obediat, in atrocioribus uero non excusari nisi dominus iubeat, mortem minitandō, si non fecerit, & nihilominus Petri & Cyni probat sententiam; & Alexander in apostillis sequitur. Ex diuerso uideo Diuos Valen. & Theod. rescripsisse seruos metallo dedendos, qui metu uel exhortatione dominorū uim fecissent. metum hic comminati mali intelligendum arbitror, ad differentiam exhortationis.

Diuus Constan. rescripsit seruum sepulchri uiolati reum relegandū, quamuis urgente domini iussione fecerit. urgentem iussione intelligo formidolosam, non simplicem. Panor. impugnat (& non iniuria) Petri opinionem ac aliorum idem sententiū, ea ratione quod nullo metu peccare mortifere permissum est. Et propterea eum qui metu excommunicatis cōmunicat, Innoc. iij. rescripsit omnino labe excommunicationis inquinari. in. c. sacris. fac. c. quisquis metu. xi. q. iij.

In hoc iure tam uario illud exploratum habeo, apud omnes tam philosophos quam theologos ac iuris prudentes, sine controuersia receptum cōprobatumq;

In c. i. de pac. iur. fir.

In l. i. c. unde ui.

In l. si familia. ff. si fa. sur. f. d. In eadem lege ij. §. ij.

C esse, mortem ac extrema omnia subeunda priusquam eorum, quæ natura foeda sunt, facere, & generalius secundum Canones quam mortaliter peccare.

Hinc pulchræ qq. Nunquid peccet qui fame conficitur, si ab excōmunicato cibum petat? Qui in puteum cecidit, à prætereunte excōmunicato opem ne implo-
rabit? Lege qui aut ex professo religionis carnes manducare prohibetur, uenit in eum locum, ubi nulla alia re, nisi carne cibari potest, peribit ne fame, an carnibus uescetur? Iussus à tyranno occidi, si ab esu carniū abstinerit, abstinere ne?

Potior Theologorum ac Canonistarū pars consentit, opem aduersus famem et aduersus putei uoraginem non inhibitam ab excōmunicatis implorari, neq; cōtra legem fieri, neq; uotū contaminari esu carniū, ubi cibus alius non est. Ultimo casu cōminatæ mortis nō obediendū, sed omnino moriendū fore. Memoria proditum est, non reprehensibile Iudæis fuisse, ad explendā letiferam famem, carnes porcinas manducasse; neq; Dauidi regi imputatū est peccatū quod esuriens ipse, & qui cū eo erant comederent panes præpositionis, quos solis Sacerdotibus edere licebat, Matthæi. xij. c. Eleazaro uenerabili nonaginta annorū seni, ac septem Macchabæis fratribus, ac Macchabææ matri, à qua Macchabæi nuncupati sunt, ab Antiochiæ rege iussis carnes porcinas edere gloriosum fuit, dira tormenta & cruciatus perpeti maluisse, quàm cōtra patrias leges facere. ij. Macchabæorū vi. & vij. Hic non parua pugna, cur nō eadem utrobique definitio, postq; utroq; casu eadem uitandæ mortis sit causa. Porro is ne inedia, ille gladio ne cadat cōtra legē facere uidetur. An ueluti aliud est seipsum occidere, aliud ab alio iugulari, sic non idem hi casus sunt? An sicut qui talia præcipit in contemptū diuinæ legis facere, et se quasi ministrū alienæ impietatis præbere uideatur, ac plurius ducere hominibus quàm deo placere? Qui uero fame ne pereat, manducat, naturæ obedit, nō legem despiciat. attamen quot autores tot sunt solutiones. Hadrianus vi Pont. Max. in opere de qq. sacramentorū in quartū senten. perlepide dixit illos, qui humaniorē sententiam respuūt, sibi uideri in Pharisæorū sectam declinare, qui sabbato curare re homines nefas esse ducebant, at bouem uel asinū è puteo trahere, nefas non ducebant. in tractatu de clauibus. q. iij. Addiditq; si eodē tempore concurrant iusta causa manducandi, & iussus tyranni, quid agendum? Et cate concludit intrepide manducaturū, satisq; pro eo alteram causam legitimā fore, cuius uis per iniustam non infringitur, manducat enim, non ut iussus, sed ut naturæ satisfaciatur; & eo plus assentior quod malitiose potuit iuberi, ut obstinatū faceret ad mortem; qd̄ intelligo si in fortuitam famem incidat, non aut tyranni opera, puta in uincula coniecto omnem alium cibū denegatū, ea spe, ut iussus prohibita aut comedat, aut inedia occidat. Peribis nisi occidas, mors omni iure præponēda est turpitudini. Quid si ne iugularetur, iugulauit; aut quid aliud improbe fecerit, quæ fieri non cōuenit, an mitius cum eo agendū? Aristoteles sic distinguit: In quibusdā cadit uenia, cum quis ea fecerit quæ fieri non conuenit, ob quædā intolerabilia quæ humanam naturam transcendūt. Sunt etiam quædam ad quæ illicitū est cogi, sed mors potius ac extrema omnia perferenda sunt. Sentit itaq; Aristoteles nō esse ueniam dignum illum qui occidit, aut quid eorum quæ turpia sunt fecerit, ne occideretur: at iuris Pontificij autores tenent metu culpā, & per hoc pœnam extenuari. c. sacris quod met. cau. & c. in primis. ij. q. i. & xi. q. iij. c. si.

Scrutemur num cōciliari hæc opinioniones queant, qd̄ Canonistæ de pœnitentiā forte indulgentia loquant, uel illa cōsideratiōe qd̄ non similiter ab oibus peccat, neq; passim similiter omnes puniendi. Sed aliter sapiētes et graues uiri, aliter qui medio officio tenent, aliter humiliores & seruilis conditionis hoīes. Probari hæc distinctio uidetur in c. eos. de conse. distin. iij. ubi grauius puniūtur Episcopi, sacerdotes & diaconi, q̄ inferioris ordinis clerici, facit, c. hoc ipsum. xxxij. q. i. ubi nisi uel

A nisi uel officij excellentia. Probatum etiam quod inter uirtutes sunt gradus. Aliæ quidem sunt heroicæ, aliæ plebeïæ, aliæ humilimæ, quæ ueræ uirtutes non sunt, & propterea non eadem aut par uirtus in humilibus quæ in honestioribus existit, neq; tam exacta in honestioribus, quanta in his qui consumati officij esse debent, quales sunt sapientes. Panor. in c. cum locum de spons. metus qui in constantem uirum possit cadere iudicandus est arbitrio boni uiri, & ideo minor metus in muliere sufficit. Venditor si constantem seruum affirmauerit, non exacta grauitas & constantia quasi à philosopho desideretur. Sapientū numero habeo episcopos, prælatos, sacerdotes, ac religiosos perfectos, & qui ad gradum perfectionis pergunt, quibus ante omnes dictum fuit Matthæi x. Nolite timere eos qui corpus tantū occidunt, animas autem occidere non possunt. Item principes, grauesq; uiros, ac bonarū artium professores, iuris prudentes ac philosophantes, & alios omnes qui rudioribus constantiæ specimen esse debent, & heroica uirtute fulgere, ut Eleazarus decrepita uenerabilis pro patrijs legibus fortiter moriendo, exemplum quod imitentur iuniores, reliquit. ij. Machabæorum vi.

Hos in primo gradu pono, quibus ut scelestum est mortis timore de statu fortitudinis deici ad turpia, sic indigni sunt uenia, & ideo legitimo supplicio afficiendi. cito d. c. eos, ubi rebaptizati metu & non metu, haud dissimiliter puniuntur. Glossa adiecit magis eligendam esse mortem sacerdoti, quàm iterum baptizari, & glossa ulti. in d. c. sacris, asserit nullo modo tales excusandos. De principibus exemplum in Lothario rege, qui acriter à Pontifice Romano correptus, proditor, quod metu legitima uxore dimissa, aliam duxit, nec occisores, increpando dicebat Pont. corporis timendi sunt, contra iustitiam homines impellentes.

De uiris bonis Paulus: Viris bonis stupri metus magis q̄ mortis esse debet. Aquinas: Ad peccata quæ sunt maxima malorum, constans non potest cogi, imò magis uult mori. Constans aut uir iudicatur ex uirtute, quæ est mensura in operibus humanis. ix. distin. ar. ij. Panor. in dicto c. sacris, tradit uirū perfectū potius mori debere, quàm uenialiter Deū offendere. Possent hæc, ni tam longū esset, uerum exemplorū cōmemoratione illustrari, quæ tamen omnia martyrum nostrorum agminibus facile cedunt, & magnitudine animi contemnenda morte, & infesta longissimorum cruciatuū tolerantia, & inexplicabili erga deum pietate.

Iuris sapiētibus satis esse debet illud Aemilij Papiniani, cui in iuris prudētia parum nulla secula tulerūt, qui occidi maluit, q̄ iussus ab Imperatore Caracalla perniciose scelestos cōtra ius & fas defendere; qd̄ grande crimen esse morte sua Papinianus docuit. Nec multo impar Q. Mutij Scauolæ auguris exemplū, qui truculento Syllæ respōdit, Licet mihi agmina militū, quibus curiā circūsedisti, ostentes, licet mortē identidē miniteris, nunq; tamen efficies, ut propter exiguū, similemq; sanguinem meū C. Mariū à quo urbs & Italia seruata est, hostē iudicem. Iura in cōtrariū adducta, si examullim pensiculētur, de leuibus & ab humilioribus admisis loquūtur. In atrocioribus uero, iussi serui nō excusantur, mitius q̄ uis puniantur.

Eis uero qui in medio officio uersantur, quod cōmune & ciuile etiam dicitur, et inter secunda officia numeratur, si mortis metu, aut cruciatibus uincuntur, uenia non est deneganda, haud tamē plena cōcedenda. Porro illa regula, quod mors & omnia extrema prius perferēda sunt q̄ turpe quid facere suæ salutis causa, oēs tenent, nō eodē q̄ uis modo, sapientes quidē sine uenia propter professionē & personā quæ gerunt. Quantū seuera delictorū ultrix sit professio disciplina, in delictis militaribus facile est deprehendere, quæ nihilo seuerè minus uindictant metu, aut maioris uis impetu admilla, ut locū in acie deferere, stationē irruentibus hostibus relinquere, fossā ue munus nō implere, fuga se tueri, arma abijcere, Titius præfect.

Causa de edil. edi. in l. siquid.

xxxij. q. v. Lothario.

Facit c. nequis. xxxij. q. ij.

u. presbyteros. §. i. l. dist.

Cequitum, quod in Sicilia bello fugitiuorum ab hostibus circumuentus arma tradidit, nullo non ignominiae dedecore à Calphurnio Pisone conf. de honestatus est. M. Clodium qui turpem cum Corsis pacem metu fecerat, Senatus hostibus de cendum iudicauit; qui non receptus, in publica custodia necari iussus est.

Hæc fortissimum præstant argumentum aduersus Rhodios milites, qui nuper claram Rhodum inexpugnabile atq; inuictissimum Reip. Christianæ propugnaculum, potentissimo ac formidolosissimo Turcarum regi dediderunt, ea lege ut cū omnibus fortunis incolumes migrare sinerentur liceret. Esto longa obsidione fessū fuerint & omnis externæ opis spe destituti, rerumq; omnium inopia premerentur, & nullo pacto tantā uim hostiū sustinere plus possent, quia rigidissime sunt disciplinæ militaris leges. Haud illepide quæri potest an in ipsis muris mortem oppetere prius debuerint quàm tam opportunum ad inuadendum christiana nos locū infestissimo hosti prodere, & ultimam belli fortunam experiri: quæ nō in hostiū multitudine, sed dei manu, pro quo pugnabatur, erat, cuius auxilio toties eosdem hostes magna strage trucidatos fudissent; & an non nefas fuerit plus rebus ac corporibus suis timuille quàm cōmuni patriæ, id est, Reip. Christianæ à qua illius nobilissimæ insulæ aduersus quoscunq; Christiani nois hostes tutelā receperāt. Reliqui qui cōmuni officio se exercent, mitius puniuntur, humilioris et seruilis cōditionis indulgentius, quia in infimo uirtutis gradu confidunt, quibus in alijs delictis, quæ nō ab incōstantia proficiscuntur, acerbius plectantur. Nemo tamen impunitus euadet, quoniam uoluntarie delinquitur: etenim non minus iniurijs sunt, quàm si naufragus naufrago præreptam tabulam extorqueat, eaq; deiciat suæ salutis causa. Præter illa quæ natura turpia esse dixi, sunt alia quædam quæ legibus, aut moribus ciuitatis sunt turpia, in quibus laus & uituperatio potest cadere. At in his quæ natura improba sunt, laus cadere non potest: nulla utiq; honesta causa esse potest occidendi innocentem suæ salutis gratia. Quando autem de laude uel uituperatione, aut uenia uel misericordia agitur, modus præscribi nequit, & ideo arbitrarium est, de quibus Aristoteles sic loquitur: Qualia pro qualibus suscipienda sunt, non facile tradi potest. Multæ enim differentiæ in singulis sunt: quandoq; laudatur qui turpe aliquid ac dolorosum subit pro magnis aliquibus & honestis, quandoq; uituperatur. Nam turpissima ferre pro nullo honesto, uel mediocri, improbi est hominis. hæc Aristoteles. Aquinas: Constantans rectam rationem sequitur, per quam semper minus malum aut maius bonū eligit. in quarto disti. xix. arti. ij. Dixit præterea idem Aristoteles in his quæ inuoluntaria sunt, uenia & interdum misericordia locum habent, quasi uenia & misericordia non ab eodem fonte proficiscantur, & ubi misericordiæ locus est, cesset uenia; uerum uenia accipi potest pro eo quod est parcere, quod principis est proprium, & pro eo quod ubi culpa leuior est, mitius puniatur, quod ad iudicem spectat: misericordia autem semper principis est, qui & remittendi & indulgendi ius habet. differunt tamen inter se, quod misericordia est animi affectus, quo commouemur, calamitatibus & miserijs rei aliās ob delicti atrocitatem uenia indigni. Causas ad misericordiā flectentes enumerat Cicero primo ad Heren. in tractatu de conuersione, & Quintilianus in affectibus.

Venia quæ ex leuiori culpa nascitur propter quam legitima pœna leniri debet semper iniuste denegatur; misericordia uero quæ à sola miserantis humanitate pendet, non iniuste denegatur, nisi sit impetrabilis, id est misericordia digna persona: porro impetrabile beneficium, id est quod haud difficulter concedi solet, debet, si denegatur, iniuria esse, Vlpianus inquit.

Iam ad inuoluntarium per ignorantiam accedamus, cuius eodem Aristotele autore, talis est definitio. Voluntarium est, cuius in se ipso, qui agit, principium est, non

A est, non ignorans singula quæ facit, seu secundū Argyropoli translationem sciens singula quæ in ipso sunt actu. Inuoluntarium per ignorantiam fit, non solum si ignorat quis quid agat, sed uel ignorat singula quibus actus conficitur, ex quibus deducitur, cum circa ea omnia scientia opus sit quibus quid fit, quorū qui aliquid ignorabit, & maxime quæ præcipua sunt, inuoluntarie fecisse dicatur. Præcipua autem illa esse inquit, quibus quid fit, & cuius gratia fit. Ex his idem Aristoteles infert: Qui filium occidit, dum putat se hostem occidere: magister gladiatorius docendi causa si percutit unde mors sequitur: qui lapidem pro punice iacit, uenia sunt digni, quia igitur fecerunt, & plus si dolet, ab inuito factum dicitur, & generaliter quicquid per errorem fit, per ignorantiam fieri definitur, cum nihil tam contrarium sit consensui quàm error. Et latere non debet grauius plectendos, qui ui, metu ue mortis, aut omnium fortunarum suarum peccant, quàm qui per ignorantiam: nam qui per ignorantiam labitur, non consentit; qui uero metu peccat, uolens peccat.

Cæterum idem Aristot. tradit, non idem esse per ignorantiam agere & ignorantem esse. Ebrius, inquit, ignorans agit, & non per ignorantiam: ignorat enim à quibus abstinendū sit, non autem ignorat, si percutit, se percutere, sed an & quale delictum sit: uelut ille qui calore iracundiæ quid facit, sic ebrius impetu facere dicitur: grauius tamen puniendus quàm si per ignorantiam delinqueret: quoniam ipsemet causa est suæ ignorantia, & est peccatum ebrietatis, & peccatum in eo quod ignorans male facit. Idem Aristot. in Politic. refert Pytaccum iuris peritum constituisse duplicata pœna puniendos ebrios, quem dicit non ad æquitatem, sed ad publicam utilitatem respexisse.

Collige tamen ex uerbis Aristotelis interdum recedi ab æquitate propter publicam utilitatem, & non semper æquum esse quod publice est utile. Optimū exemplū in lege Prospexit; et hoc est quod Iulianus respondit. multa contra rationē disputandi recepta esse, ppter publicā utilitatē. Sentit ergo Aristoteles, æquitatis iure ebrios mitius puniendos; neq; diuersum maiores nostri censuerunt. Puniuntur, quia in culpa sunt, ebrietate indulgentes. Hinc efficitur, qd qui in culpa sunt, ignorantia non plene excusantur. Glo. et Bar. Hic & modus culpæ modum pœnæ præscribit. In culpa sunt ebrietati indulgentes, non ignari, quod amisso per ebrietatem rationis usu, in omne facinus ruunt præcipites. Hinc est quod qui nō sua culpa fiunt ebrii, quod multis modis contingere debeat, Thomas docet, ut peccato cuiuscunq; malefacti sic pœna sunt liberi. Culpa autem & non culpa multum arguitur ex hominis consuetudine, si abstemius an uinipeta sit; & ueluti pro sobrijs coniectura est, ita contra ebrios præsumitur. In non ebriosis uero in neutram partem est præsumptio, quia decipi possunt à porrigentibus poculum, & à semetipsis merum pro diluto bibendo, uel nō credentes inebriari. Quando uero scit uel dubitat uino capi, & præponit ebrietatem sobrietati, tunc ueluti non sine culpa est, ita nec sine peccato. hæc omnia ex sententiā Diui Aquinatis. ij. ij. q. cl. art. iij. Quid si per lasciuiam, puta Martinianorum bacchanalium, in ebrietatem incidens, uir aliqui sobrius, bacchico furore alium cædit, porro non sine culpa cædit. Scire debuit futurum, ut inebriaretur, et ad nocendum stultitia agitaretur; nec refert quod non ebriosus esset, semelq; in id prolapsus fuerit. Ad id enim tantum hoc ualere potest, qd mitius cum eo agatur, quàm si ebriosus esset. Aquinas art. i. Verum de quo ebrius hæc, ista breuiter de eo qui profus impos sit mentis. Quid si mediū tenet, ut frequentius accidit, ut nec impos penitus, nec compos sit mentis, id est, si nō profus ignorat quod agit, neq; per omnia intelligitur? Guli, cum qui non omnino rationis usu caret, putat contrahere matrimonium, & testari & contrahendo obligari. Tabienus; Quid illis in regionibus, ubi longis commessa

l. quod calore. de re. iij.

In l. ita uulneratus ad. l. aquil. & l. ius singulare. infra co.

Venia. Misericordia.

C tionibus & computationibus non interesse & non inebriari incivile est: Respon-
deo & ex sententia Polixeni, optandum is collum gruis.

Illud quoque notatu dignum tradit Arist. ad veniam poenasque moderandas: Vt quis
dici possit per ignorantiam involuntarie inuitusque fecisse, opus est facti doleat atque
poeniteat: quod si non dolet neque poenitet; non inuitus fecisse videbitur, & propter
hoc neque vere involuntarie quamvis per ignorantiam peccaverit, neque voluntarie.
Sed alia quaedam species est secundum Aristotelem, quae caret nomine pro-
prio. Nam veluti malefacti per ignorantiam dolere & poenitere solet, ac debet,
sic concupita praeter studium si eveniant, consentaneum est delectent. Pone per
errorem cecideris Titium, quem odio habebas, difficile est doleat, imò non de-
lectet, & idcirco si non dolet videtur non inuito te esse factum, & tacitus arguitur
consensus quidam, qui in non voluntarie iam factis efficit, ut proximus quodam-
modo esse videaris ei qui ratum habet, quod est utile ad commensurandam veniam:
durius enim agi convenit cum eo, qui facti non poenitet neque dolet.

Quaerit Iason, volebam Titium occidere, errans Caium occidi, num capite pu-
niri debeo: Secutus Angelum & Florianum putavi mitius plectendum. Bar. in
d. l. respiciendum delinquit, nihilominus puniendum putat, propterea quod opera da-
bat rei illicitae. quod verius arbitror, ea ratione, quod hominem volebat occidere, &
occidit. Non erravit in substantia, sed qualitate, quae non relevat. Secus existimo
quando ex qualitate personae occisae variatur poena, credidit laicum, occidit cleri-
cum. Similiter occidit filium, quem hostem credebat. Hoc casu, quia non illicitum
est hostem occidere, ignoscendum est, quibus & similibus casibus, non impruden-
tis opus est sed iustus sit error boni viri arbitrato. In dubio idem Iason credendas
scribit fortuitas potius inter propinquos & amicos caedes. Bal. hic non praesumit
malitiam, ubi iustitia esse potest. ar. l. merito. ergo dolum abesse credendum est ubi
error esse potest. Bar. contra sentire videtur, asserendo dolum praesumi ex delicti
atrocitate, & ideo sciendam illam responsionem putat, occidi ad meam defen-
sionem. Bal. Vbi scientia est de forma seu definitione delicti, ibi ignorantia non pu-
nitur, nisi sapiat dolum praesumptum; et mitius agi inquit ex dolo praesumpto in
poenis corporalibus. An & quando scientia sit in delictis ad essentiam vel qualita-
tem? Idem Bal. in l. i. C. qui accus. quando ignorantia relevat. Dixi eodem Ari-
autore, voluntarii & involuntarii cognitionem esse necessariam legislatoribus et
peritis, ad praemia poenasque constituendas. Explicito iam poenarum tractatu
superest de praemijs loquamur.

Videamus ergo praepositis ob aliquod factum vel dictum praemijs, nunquid ei
qui coacte fecit vel dixit, praemium debeatur? & videtur eandem rationem volun-
tarii quae valet in delictis plectendis, valere debere in praemijs promerendis. Res
proculdubio extricatu difficilis, et eo mihi difficilior est, quod non inveni auctorem, quem
sequar, ne verbum quidem doctores nostri faciunt, conquirenda tamen veritatis causa sit.

LEX, Qui prior ad metam venerit, palmam recipiat. Maestari iustus est Ti-
tius nisi currat; inuitus cucurrit, & prior ad metam venit. **LEX**, Qui fortiter
fecerit, praemium capiat. Iugulari iustus est Sempronius, nisi fortiter fecerit. Sem-
pronius fortiter fecit, quid iuris? Nihil interesse autumo sponte vel inuito fecerint,
quoniam praeposita videntur praemia fortiter facienti, & currentis pernicitati, &
sic corporis viribus magis quam animi, considerandae itaque sunt praemiorum causa.

SIT ERGO LEX, Periclitantibus opem qui tulerit, praemium capiat.
LEX, Liberalitatem in miseros qui exercuerit, praemium capiat.

Coactus quid eorum qui fecerit an dignus sit praemio? scrutanda est legistato-
ris voluntas, num effectum an affectum agentis desideret; si voluit afflictis pro-
spicere, puto praemium deberi; si vero per usum virtutis vult civis beneficos fieri,
puto

A puto non deberi, quoniam non in coacta sed libera actione virtutis robur ac laus
consistit. Nec quisquam iustus est qui coacte vel per accidens actum iustitiae ex-
ercet. Idemque de reliquis virtutibus a sapientibus definitum est. Beat. Aquinas,
Vt quis praemietur opus est, inquit, ut dominus sit actionum suarum; & ideo quae
fiunt necessitate vel vi non merentur, & intelligo de necessitate naturae vel officij.
Putat, capienti bannitum praepositum est praemium. Potestas vel eius familia ce-
pit bannitum, petunt praemium. Panor. putat non deberi, quia ad hoc conducti
sunt, & stipēs promissa ut malos conquirent, et ex officio tenentur. Sanè iniquum
videtur pro eodem negotio duplicem stipem exigant.

Contra, veluti in praemijs, sic metu bonos viros fieri sufficit, Vlpiano dicente,
Bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum exhortatione effi-
cere cupientes.

Respondeo praemijs homines ad virtutes allici, & pium & honestum est; poe-
nae autem metus incutitur, ut à malo caueatur; etenim principaliter nemo commi-
natis poenis per leges humanas cogitur bene agere, sed solum à vitijs abstinere,
& abstinendo quodammodo benefacere videtur, nec propterea praemiari mere-
tur. Porro nunquam laudatur qui non furatur, non occidit, non moechatur, quo-
niam iure naturae talia odio haberi debent. Non ergo satis est vitium fugere, si
praemium consequi vis, nisi virtutem amplexeris, exerceas, & eo modo & animo
quo exerceri convenit.

Congruunt scilicet Theologorum traditiones in iij. senten. definiens ingra-
tam elemosynam, quae non libera voluntate fit; non enim meticulose, sed arden-
ti in Deum amore fieri debet. Hilarem datorem vult Deus. Similiter ieiunia, obla-
tiones, & huiusmodi caetera metu facta, quia fomento charitatis destituta sunt,
atque etiam martyria ipsa, quae non simpliciter propter deum perpetiuntur, nullius
sunt meriti; & in summa omnia opera, quae ipsi meritoria dicunt, sponte & non
coacte fieri oportet, ut digna sint praemiari; & quaecumque honesta Job id ipsum
quod honesta sunt, ut Stoicis placet, fieri debent, & verius secundum Christianas
traditiones, non ob aliud nisi quod Deo sunt placita. Vera utique religio est, ut
quicquid boni agimus ad Deum referamus, Deoque acceptum feramus. Omne do-
num et datum optimum, desursum est à deo patre luminum. Iacobus epist. i. cap. i.

Idem Martianus, & stoicae summae sapientiae Chrysippus, in pri-
mo de legibus sic ait:

*ἐν ὀνόματι τοῦ πάντων ἐσσι βασιλευς θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων ἡ πράγματων. δὲ αὐτῶν προσάτηρ
ἵνα ᾗ καλῶν καὶ ᾗ ἀχρῶν, καὶ ἀρχοντα καὶ ἡγεμόνα.*

Id est, Lex est omnium diuinarum & humanarum rerum regina: oportet
autem eam etiam praestare et bonis & malis, et principem et ducem esse.

Vetus inter sapientes quaestio fuit, utrum magistratus praesse legibus, an le-
ges magistratibus deberent? quae his Chrysippeis verbis tota sedatur.

Oportet, ait, eam praestare & bonis & malis.

Vnde manifestum fit, magistratus civitatis subesse legibus oportere. Nec mi-
rum, quia illi ministri sunt, ut Cicero docet. Nec aliud sensit Pomponius in l. ij.
de orig. iur. dum dixit: Parum est in civitate ius esse, nisi sint qui iura reddere possint.

Item ait: Omnium qui in civitate sunt, ducem & principem esse
oportet.

Si sola lex omnium dux & princeps esse debet, ergo non alius esse potest, siue
sit magistratus temporarius, siue perpetuus, ut princeps. Ducem ait, quod ma-

D
Glos. & doct.
in l. i. C. d. fidei.
in l. ut uim.
in c. i. quibus
mo. feud. ami.
l. nec exempli.
C. de fil. et l. fi.
de his quibus ut
indi.

ij. dist. xvij. q.
i. art. ij.
In c. in ecclesiis.
de cens. et
arg. l. congruit.
de offi. pres. et
c. i. de offi. ord.

C gistratus non sua uoluntate ferantur, sed legis dictu. Aquinas. Oportet in ciuitate principem habere regulam, per quam dirigatur in operationibus suis, & dirigat alios & iudicet. Hoc autem fit per legem quarto commentariorum in Politica Aristotelis. Item principē ait, quod legi magistratus obedire & subesse oportet. Solidissimam huius sententiæ rationem Arist. iij. politicorū sic explicat: Qui hominem legibus præponit, sicut bestiam præponit: qui uero legem hominibus præponit, deum præponit. Plato iij. de Il. sic inquit: Interitum illi ciuitati paratum uideo, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præfunt: salutem uero illi ubi lex seruientibus magistratibus domina. Serui ergo & ministri & custodes legum esse debent magistratus, ut latissime disputauit in libris de Principatu ad Leon. Pon. Max. Verum quia interdum contingit sapientem uirum principatum gerere, tum optime cum mortalibus agi existimatur, si leges et omnia in manu eius reposita sint. Neque alia præscribenda lex est, quoniam temporis uiris Deus lex est. ut ad amicos Dionis scribit Plato, & Aristoteles iij. politicorum: Iustus & sapiens uir ipse sibi lex est. Apostolus prima ad Timotheum: Lex iusto posita non est, sed iniustus.

CELSVS.

Nam ad ea potius debet adaptari ius quæ frequenter & facile, quam ad ea quæ perraro eueniunt, quia quæ semel aut bis accidunt, contemnunt legumlatores.

D Duabus supra proximis legibus, de quibus rebus ferendæ sint leges, traditur. Hic de interpretandis tractatur, & uerus sensus est, Quando lex ad eum ambigua est quod ualet per interpretationē aptari ad unū uel alterum casum, qui raro & difficulter euenit, ualetque adaptari ad ea quæ frequenter & facile accidunt, semper ita interpretanda lex est, ut ad ea pertineat, quæ non perraro neque difficulter eueniunt. Causa est, quod leges de ijs constitui oportet quæ frequenter accidunt, quoniam in uno uel altero casu non consistit publica, Baldus ait, utilitas: unde arguitur legumlatorem de talibus non sensisse. Exemplū: Lex quæ in homicidas pœnas statuit, non punit paricidas, quamuis hominis appellatione parentes cōtineantur, quoniam perraro euenit parentes à liberis necari. Et ideo non est uerisimile, de his legislatorem sensisse, præcipue quod par pœna delicto non esset. Et idcirco necessaria fuit lex Pompeia. Solon interrogatus cur in paricidas nullam legem scripserat, respondit, non futurum credidi ut tantum scelus perpetraretur. Obscrua ergo, sicut lex quæ simpliciter loquitur intelligenda est de ijs, quæ non perraro accidunt: quod ita admittendum arbitror, nisi iusta ratione, aut eadem utilitate iungantur: locumque hæc lex habeat in ijs quæ cohærere nequeunt. Nec credas ociose perraro dictum, quoniam ijs quæ raro accidunt iura accommodari solent, non autem ijs quæ perraro, quod ratio suadet & Theophrasti uerba sonant, ut eleganter Alciatus explicat li. i. Dispunctionū. Rursus obserua perraro dici id accidere, quod semel aut bis accidit: & quod bis factum est, non potest dici frequenter factum, quod facit ad inducendam consuetudinem, quæ actuum frequentiam desiderat.

SIT LEX, Qui frequenter furatus est, laqueo stranguletur. Hac lege non tenebitur qui bis furtum fecerit. **LEX,** Frequens scœnator quadrupli reus esto. Hac lege qui bis scœnori credidit, quadrupli reus non erit.

VLPIANVS.

Non ambigitur, Senatum ius facere posse.

Ex hac lege Castrensis colligit, consilium cuiusque ciuitatis habere potestatem ius condendi, & quod ab eius sententia, non sit appellatio, ueluti neque à Senatus sententia

A sententia fuit prouocatio. Vereor tamen ne Castrensis erret, quoniam hic de Senatu Romano loquitur, cui sicut non aliæ ciuitates, ita nec consiliarij comparari possunt. Igitur aliorum locorū Decuriones, non Senatores nuncupantur: & Decurionum decreta dicta non Senatusconsulta. Præterea Senatores ab initio non habuerunt potestatem ius condendi, sed post exactos reges ac Il. XII. tab. & Il. alias multas, iam aucta in eum modum ciuitate, quod non facile populus coire poterat, delata fuit gubernatio Senatui & lege ius datum, ut quod constituisset, ius esset, tumque primum Senatusconsulta nominata. Ex quibus liquere arbitror, consiliariorū cœtus ius faciendi non habere, sed cōsultandi tantū, nisi lege nominatim talis potestas tributa fuerit, sicut nec collegium Cardinaliū uiuo Pontifice habet.

L. si pupillus. §. decuriones. de uerbo. sig.

L. ij. §. deinde quia de orig. iur.

PAVLVS.

Quod uero contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias.

Quia ratio, Bal. inquit, est medium, quo lex producitur: & ideo ubi deficit æquitas, non potest fieri extensio quæ non à pari ratione iniquitatis, sed à pari ratione sit æquitatis, de qua latissime differui lib. v. ad l. omnes populi.

Sed quomodo dicitur aliquid esse cōtra rationes seu regulas iuris: Didici enim quando est contra omnes regulas iuris, & tunc cessat ratiocinatio: si uero est contra unam uel alteram aut plures regulas, & pro se stet una iusta ratio, siue regula, tunc potest trahi ad cōsequentias, frater Gerardus siue Io. And. in mercuriali professor. Iaco. but. & Bal. hic in si.

PAVLVS.

Ius singulare est quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, autoritate constituentium introductum est.

Ad hanc legem non uidetur posse accommodari aptius exemplum, quam lex Prospexit, qui uel à quibus in l. si.

CELSVS.

In ambigua uoce legis, ea potius accipienda est significatio quæ uitio caret, præsertim cum etiā uoluntas legis ex hoc colligi potest.

Obserua quod uitiosa interpretatio semper est contra mentem legislatoris, & ideo reijcienda: quæ autem uitiosa sit dixi lib. iij. ad l. omnes populi.

VLPIANVS.

Fraus enim legi fit, ubi id fit quod fieri noluit, fieri autem non uult: & quod distat uerbum ab intellectu, hoc distat fraus ab eo quod contra legem fit.

Politianus ex archetypo Pisano, restitutis uerbis græcis, legendum scribit, & quod distat, dictum à sententia. Bellissime Cynus putat legi mox futuræ etiam fraudem fieri. uerbi gratia: in consilio agitatum, ut frumento pretium taxaretur, unus Decurionū antequam decreto firmaretur, festinauit quanti plurimi frumentum uenundare, lege postea constituto minori pretio, contra uenditorē egit emptor rescissoria. Cynus censuit in fraudem legis futuræ, rescindendā uenditionē, & Castren. probat. Cice. iij. offi. meminit Titium Claudium ædes quas in Cœlio monte habebat, demoliri iussum proscrispisse: emit P. Calphurnius Lanarius, cui ab auguribus id idem nunciatū fuisse. Calphur. cū demolitus esset, cognouissetque Claudiū ædes propterea proscrispisse, arbitriū illum ad egit, quicquid sibi dare facerē ue oporteret ex fide bona, M. Cato iudex pronunciauit, cum in uenden-

Arg. l. non possunt. et l. i. nam ut ait.

C do eam rem sciuisset, et non nunciasset emptori, damnū præstari oportere. Id idē respondi de illo qui ideo ædes uendidit, quod percunctatus fuerat magistrōs stratarum suas domos omnino demolituros, quamuis necdū ei quicquid nunciatū esset, quoniā ad fidem bonam pertinet, nihil emptorem latere debere, quod uenditor norit. Vereor tamen ne reticentiæ magis hæc sint peccata à iure improbata.

V L P I A N V S.

Princeps legibus solutus est, Augusta aut licet legibus soluta non sit, princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit quæ ipse habet.

Notall. Prin. solutū esse non uī principatus, sed ex priuilegio lege Regia cōcesso. Enucleemus quid in principe ualeat, legibus solutum esse. Num quicquid facere libuerit, liceat? non utiq; nisi iusta & honesta faciet. Principis enim uocabulum iuris est, non iniuriæ. Num diuinis, aut gentiū solutus est legibus? non utiq;. Num legibus conuentionū? minime. Num ex non iure, facto contractu, uel testamento capiet? nequaquā. Num ab alijs eripere ualeat, ut sibi habeat uel alijs largiatur? hoc prædonis est. Num de causa cognoscens, qd unius est potest alteri litigatori adiudicare? nō nisi in arbitratorem sit receptus. Num innocentem damnare & reum conuictum, confessumq; quit absolueret? neutrum quidem, indulgere quamuis & remittere queat, si cōmunitati nō officiat. Num alia quàm statuta pœna damnare potest? non nisi æquitate suadente. Num iniusta uectigalia, & onera quit imponere? tyrannidis est hoc. Num leges pro uoluntate tollere, & alias promulgare potest, ad suam præcipue utilitatem? non nisi cōmuni manifesta utilitate. Num munera & honores pro uoluntate etiam indignis distribuere potest?

D B. Aquinas, Iniusta lex est, inquit, quādo non distribuit æque onera, uel honores ad bonum cōmune. Inter est enim Reip. ne à nō idoneis administraretur; imō tyranni propriū est bonos & graues uiros, indignis præpositis, inhonoratos habere, nec quicquid ægrius tolerat, q̄ ab inmeritis non solū superari in honoribus, uerum etiam æquari; quæ quidē ut monstruosa res est, sic etiā perniciosa, propter quam seditiones et tumultus saepe in populis. Num sine causa in carcerem conijcere potest, ac etiam torquere sine iudicijs? Hæc facti sunt, non iuris: iniurius quippe nulli esse debet princeps. Quid si se consciū, aut sibi nota esse signa asseueret? Multa profecto fidei principis uox est; cauendū tamen est, ne defensionis facultas reis propterea auferatur. Num nouos magistratus, & nouam Reip. formam potest inducere? cedo, si è Reip. fiat. Attamen non obscura inter sapientes disceptatio est, an mutata forma reipublicæ, idem sit populus & principatus idem? Num fur ti, occisi, falsi, adulteri, & id genus reliquis teneatur? si furatur, si latrocinatur, si occidit, si adulteratur, nihilominus fur, latro, homicida, adulter erit; atqui propter dignitatem grauius peccat. Tenetur autem illa saltem diuina, non occides, non furaberis. & illa, quod tibi non uis, alij ne feceris. & forte sua ipsius (ut ille dixit) patere legem quam tulisti; etenim ueri principis est, nihil præcipere, quod non sibi prius imperarit, & quod alijs prohibet sibi licere non credat, nec ad rem quod impune sibi solet cedere, quoniā hoc uis est, non ius: de iure enim nos loquimur.

Quibus ergo legibus solutus est princeps? solennium manifestum est ex l. ex imperfecto, C. de testamentis, ubi Diuus Alexander aperte rescripsit, non solutū legibus iustitiæ, & ideo ex imperfecto testamento capere non posse, sed solennium legibus, hoc est, quod non obligatur testando ad testamentariā obseruationem, neq; iudicando ad iudiciariam, neq; statuendo ad legitimā & similia. Sunt tamen quædam leges, quæ alijs omnino dicuntur, ut nequis cum telo incedat, nequis alea ludat, ne noctu eatur, ne purpura uestiatur, & huiusmodi innumerabilibus: & nihilominus his ipsis suppositus est, in eo quod nō potest sine iusta causa alia quàm in dicta

A in dicta à se multare pœna. Cicero inter cætera accusauit C. Ver. quod Prætor urba. ex edicto suo plerunq; ius non dixerat. Et in summa, omnibus illis solutus non est legibus, quibus à se non seruatis respublica læditur aut honestas: læditur aut Resp. etiam si exigua eius pars læditur ciuis aliquis. Plato, Aristoteles, Aquinas. Et si uerum amamus pluribus et arctioribus tenetur Princeps legibus quàm priuatus aliquis. Sed hæc pars ad diuine humanæq; philosophantes pertinet.

Sunt quidam uerborum aucupes, qui dicunt scriptum conuenire, non autem scriptū oportere Principem legibus uiuere, quasi aliud Principem deceat, aliud oporteat. Etenim stultissimum est æstimare, ualere plus debeat necessitas apud Principem, quàm honestas: sicut turpe est ab honesto discedere, Principi proculdubio turpissimum. & ut uitium fugiendum, honestas appetenda, sic nihil uere honestum est, quod facere non oporteat, quod licet per se pateat, coniunctione tamen plurium legum patet apertius. Pau. de leg. i. ex imperfecto testamento legata & fidei cōmissa Imperatorem capere, uerendum est. Diuus Alexander: Ex imperfecto testamento nec imperatorem uendicare posse saepe constitutum est. Ecce quod Paul. respondit uerecundū esse, Diuus Alexander rescripsit fieri non posse. Vtroq; uero elegantius Papinianus his uerbis: Nam quæ facta lædūt pietatem, æstimationem, uerecundiam nostram, nec facere nos posse credendum est. Rursus idem Alexander: Nihil tam proprium imperij est quàm legibus uiuere: ergo impropriū & alienum est ab imperio, non legibus uiuere. Imperatoriam maiestatem legibus armatā esse oportere Iustinia in. i. insti. Blandiuntur interdū nobis Principes dum se iactitant solutos legibus, & legibus se subijcere uelle, quasi benignitatis sit, non necessitatis tyrannidem non exercere. Esto lege ciuili solutus sit, lege tamen honestatis, quæ ualidior est, nunquam soluitur sine iustior causa, & ideo in regulis iuris scriptum est, non omne quod licet, honestum est.

E Apostolus: Si omnia licent, non omnia expediunt. Custos itaq; non uiolator legum Princeps esse debet: qui diuersum loquuntur, aut principibus adulantur, aut credunt propter principes à Deo homines factos. At uero uerius est adinuentos atq; institutos principes fuisse, ut cōmodis prospiciant populorū. Quod cum non lateret diuinum Gregorium se Christianis præpositum, ut prodesset, scriptis suis haud semel testatus est, seq; seruum seruorum Dei nuncupauit, scripsitq; prius, quem cæteri post eum Pontifices, uti in hoc instituto, in reliquis utinam sic actionibus æmulati essent.

Hoc istud redolebant Hadri. vi. Pont. Max. uerba quæ suauiter locutus est nobis, qui pro populo Romano pedes eius, ut moris est, osculatum iuimus congratulamq; de eius electione, prospera nauigatione, feliciq; in urbem ingressu, summa omnium lætitia, & post alia multa exposita, tum sanctitas sua nostris dictis memoriter ac hilari fronte collaudatis, grauissimam responsonem clausit his uerbis: Bono animo sitis. Princeps qui aliud quærit supra principatus honorem, quicquid haud solam populorum utilitatem quærat, nō Princeps est, sed Tyrannus. Tum perlepide addidit: Os meum paucis pascitur, & corpus tegitur, quicquid supererit ex pontificijs redditibus, in Christianorum commoda effundetur.

Quomodo ergo Princeps supra leges est? sine dubio est, ubicunq; iusta causa aut æquitas exigit de legis rigore remitti, aut de lenitate digredi. Imperator Iustinianus in Senatu sic cōcionatus est: Imperialem fortunā rebus humanis Deus præposuit, ut possit omnia quæ nouiter cōtingunt et emendare & cōponere, & modis & regulis cōpetentibus tradere. Nota, nota illa uerba, modis & regulis cōpetentibus, non dixit uoluntarijs: in quo ergo est ista tam cantata plenitudo potestatis? Aduerte animū quod plenitudo potestatis est ad bonū et non ad malū & incentiā, ad implementū iustitiæ & non iniquitatis, alioquin dicenda est plenitudo

Plus sibi cauere debet, inquit Acur. in l. pe. de hære. insti.

l. filius. de cõmodi. institut.

Cy. et Bald. in l. digna uox. C. de legi.

l. ut gradatim. §. i. de munc. et honor.

Cle. pastoralis. de re iudi.

C. iustū. ix. dist. optima glo. in l. penul. ff. de heredi. insti.

C tempestatis. Ita eleganter Cardinalis in cle. pastoralis. de re iudi. & latus in utraq. partem glo. Io. mon. in extrauaganti Bonifacij VIII. rem non nouam. & Socius fil. cōsi. clxiiij. col. ix. & x. probat ea ratione, ne plenitudo potestatis causa, et inscripsit iniquitatis. Si plenior tractatum circa hæc ista desiderat aliquis, legat libros de Princ. quos ad Leonem X. scripsi, & maxime iij. v. & vi.

DE CONSTI PRIN

VLP IANVS.

Quod principi placuit, legis habet uigorem, utpote lege Regia quæ de eius imperio lata est, populus ei & in eum, omne imperium suum, & potestatem concessit.

Imperium. Imperatores. Imperium, foris circa rem militarem intelligo. Nam exercituum duces, maiores nostri, Imperatores nominabant, ab imperando exercitui, & omnia alia ad bellum necessaria.

POTESTATEM, foris & intus iurisdictione, ex præpositis Vlpiani uerbis manifeste colligitur, per solam electionem nullum imperium electo quæri, & per hoc neque ius constituendi, nisi à populo per legem nominatim decernatur. Non idem in Papa, qui mox ut electus est, plenam habet clauium potestatem. Ratio, quod Papæ potestas à solo Deo est, & non iure eligentiū, quorum magis nominatio, siue declaratio quædam est personæ, in qua papalis resideat autoritas. Imperatoris autem potestas à populo Romano fuit, & talis qualem populus sciuit, & idcirco electo principe nisi per legem decernatur potestas, princeps nullius imperij est, ut hic liquet & Pomponij de orig. iur. his uerbis: Constituto principe datum est ei ius, ut quod constituit, ratum esset. Quæ intelligo de principe olim Romano, non aut hodierno, quoniam mutata est forma eligendi ab illa ueteri, de quo tamen articulo inter doctores antiquos etiam uariatū legimus. Iacobus de Arena publice disputauit, cuius adhuc extat pulchra disputatio. Perspicuum ergo est ueluti omne suum imperium in arbitrio populi fuit cōterre, sic in eiusdem populi arbitrio fuisse non omne, sed diminutum conferre, & illis cōditionibus, quæ populo placuissent, nec aliter principatus iniri, gerere potuisset: & propterea latere non debet quod non una pro omnibus futuris principibus, lex regia ab initio lata fuit (ut rerum imperi arbitrantur) sed sua cuique principi certis conditionibus, ad eod quod quibusdam maior potestas, quibusdam minor tributa fuit. Nam ante Vespasianum qui fuit decimus à dictatore Cæsare, ix. ab Augusto primo acclamato principe, nullus unquam omnibus legibus solutus fuit, quinimo multa, lege Regia, eos facere oportebat. liquidò patent hæc post historias, ex ærea tabula, quæ in basilica Lateranensi. adhuc pendet, quæ est ultima tabula legis Regiæ de Imperio Vespasiani, cuius uerba cum interpretatione qui desiderat, legat ultimū librum meū de Principatu. & idcirco uero simile est Vlpianum loqui de lege Regia Alexandri Mammeæ, cuius ius protutor & magnus consiliarius fuit, qui tam iustus & temperatus fuit, quod meruit legibus solui, quoniam sibi ipsi lex erat. Lex itaque Regia est lex populi, per quam decernitur imperium, continens conditiones, quibus principatus ineundus, gerendusque est: dicta Regia quod per eam ius regnandi defertur.

D Solent Cardinales in conclauū quosdam inter se leges scribere futuro Pontifici, quas mox electus iterum approbat, & seruare promittit: nunquid tales conventiones lex Regia dici possint? & puto non posse, quoniam per eas non deferuntur pontificia gubernatio, sicuti per legem Regiam regia gubernatio. Ratio paulo ante

U. c. uenerabilis. de elec. c. i. de iur. iur. in l. be. ne à Zenone. C. de quad. pre.

Lex Regia.

ante dicta fuit, & ideo sicut cœtus Cardinalium Pontificem eligendo, nihil de suo confert, neque leges eligendo imponere potest, simpliciter profecto eligi, simpliciter recipi Papatus debet. Quid si iuratum fuit, & ut plerumque solet cum execratione: certe qui sic iurat, Deo iurat. Sacri theologi huiusmodi iurandū promissorum & per execrationem appellant, quod secundum Canonistas parum differt à uoto, et fortè ad ea obligat, que citra clauium ac salutis detrimentum seruari possunt.

Quid si promissa respiciant humanam duntaxat potestatem, quam secularem dicunt: subsisto, quia Papa utrumque gladium à Deo habet, licet modestiæ sit in uagina cōtinere: nihilominus ueluti non à Cardinalibus id accepit, ita nec ab eis lex dici potest. Verum quatenus promissa non sint contra publicam utilitatem, & iurata sunt, fidem Deo autore datam fallere, non leue est: si uero promissa utilia sunt cōmuniter populis, etiā si non promissa essent, ex officio facere eum oporteret, fortius si promissa, diligentius si iurata. Et obserua. paria esse habere ius constituendi, & habere summū imperium ac potestatem, ita quod eo ipso datur imperium ac potestas, intelligitur ius constituendi datum.

Quod principi placuit, legis habet uigorem.

Pomponius principis constitutione pro lege seruati meminit. Quare non dixit lex est: quoniam populi Romani erat legem ferre, quod sibi reseruauit, licet eandem uim habere princ. placitum uoluerit, quam lex populi habebat, non tamen quod lex esset, dictaque cōstitutio ad legis differentiam: & quoniam plus est legem esse, quam pro lege seruari, uti plus est ciuem esse, quam pro ciue haberi, sic potior erat lex populi quam principis constitutio, ex quibus concludi posse reor, si unum constituisset princeps, & diuersum populus statuisset, præualuisset lex populi: neque mirum, quia populi minister princeps est. minimeque nouum plus ualere quod ab uniuerso populo fit, quam quod à parte: pars populi quidē est princeps.

Quod principi placuit.

De quo placito loquitur Vlpianus: utrum de licentioso an non licentioso? Hoc quæsitum haud multum distat ab illo, utrum populus imperium & potestatem in Principem tanquam malum uirum, an tanquam bonum uirum contulit? & utique necesse est fateamur, ut in bonum uirum collatum, pariter necesse est princeps placitis boni uiri utatur, & non aliter quam ipsemet in seipsum populus uteretur, exerceretque. Idem ait, omne suum imperium ac potestatem concessit & c. Per hæc uerba cōmunis error irrepsit atque inualuit, populum Romanum nihil sibi reseruasse, & in dominum assumpsisse principem, sed illi uti mancipium subdidisse: qui hæc dicunt nesciunt pugnare inter se dominationem & principatum, & domini uocem semper in urbe intensissimam, principis uero placidam, iucundam. Plinius Secundus in panegyrico ad Traianum, Sedemque principis obtinet. ne sit domino locus. & de Diuo Nerua: Non enim seruis suis dominum, sed principem ciuibus daturus. hæc Secundus. & ipsamet uox Principis indicat, inter pares esse principatus, uti princeps Apostolorum, princeps Senatus, inter Senatores primus, qui ætate, uel autoritate præstet: princeps ciuitatis, primus inter ciues, & ciuium appellatione continetur, sicut princeps familiæ appellatione familiaris comprehenditur. Item nesciunt illi, qui nesciunt Senatum sub principibus ius facere potuisse ac fecisse: similiter populum uniuersum suas leges, & plebem sua scita. Pleni sunt Digestorum libri huiusmodi scitis. Si post principes ius constituere potuit totus populus, item Senatus solus, & plebs sola, quomodo dicuntur populum Romanum se abdicasse omni imperio & potestate? hic error manifestus est ex Pandectis ipsis.

Facit lex. i. §. penul. de offi. præfec. præto. Bald. hic pulchre multa scribit. Principatus. Dominatus. L. familiæ. de uerbo. sig.

C Omne suum imperium ac potestatem.

Facit. l. si. C. de. II.

Quale fuit hoc suum populi imperium: nunquid dominicum: nequaquam. Si populus in seipsum dominicum imperium haberet, utiq; sui ipsius seruus esset & dominus, quod natura non patitur: ergo aliud quam dominicum imperium concessisse oportet. Igitur hæc uerba, omne suum, accipienda sunt, ut quicquid posset populus statuere & facere per se & omnes suos magistratus, idẽ posset & princeps solus: & si dixeris, isto modo æqualem potestatem cum populo habuisset, & per hoc non superior fuisset princeps, quia par in parem nõ habet imperium. Facit mirũ uideri hoc rerũ inscitia: plus assero, principem uniuerso populo fuisse inferiorem, quia populi minister, populi personam ac uices gerens: singulis uero superior: de uero loquor principe, non tyranno. Dicant quæso, si Imperatores omnium domini erant, quare non dedignabantur consulatus petere, & ante tribunal Confl. stare, & in leges iurare: sic inibantur magistratus. Indecorũ sanẽ uideri debuit inferiores honores appetere. In monumentis ueterũ passim leguntur inscriptiones huiusmodi: Imp. Cæsar, Augustus, Tra. Conf. Pont. Max. Trib. P. & aduerte animum, ut in urbe diuersi magistratus, sic diuersæ potestates & administrationes, Principis alia munia erant, alia Confl. alia Pontificũ, alia Trib. pleb. ut in eodem corpore uaria membra non eundem actum agentia. Iure principatus non poterant agi, quæ aliorum magistratuum erant: & sine eorum omnium interuentu, multa decerni non poterant. Princeps tyrannidi studens, ut omnia ad se traheret, utiq; solus omnia esset, & posset, procurabat omnes alias potestates in se solum conferri & titulos, nec erubescibat in campum candidatus descendere, ubi nullus suffragijs non iuuare audebat, & hoc pacto omne ius populi, quod diuisum in plures magistratus erat, administrandum consequebatur. id est, tantam potestatem & auctoritatem ipse solus, quantam omnes alij simul iuncti obtinebant, quod ipsis titulis suis palam omnibus faciebat. Ex quibus manifestum fit conclusiones falsas esse (sunt utiq; multæ & magni momenti) quas doctores colligunt ex hoc quod P. R. omne imperium & potestatem suam in Prin. contulerit.

VLP IANVS.

In rebus nouis constituendis, euidentis utilitas esse debet, ut receptum ab eo iure, quod diu æquum uisum fuit.

Vis horum uerborũ a doctoribus non consideratur, quæ quidem magna est: declarat quanta principis in constituendo sit auctoritas. Et obserua quod loquitur de constituendis a principe, ut titulus arguit, alioquin inepte posita hic esset hæc Lex, cuius uerus sensus est: Principem non posse ueteres iustas leges abrogare, & nouas constituere, sine euidenti populorũ utilitate. Euidens ait, quod non uerbis adumbrata, sed quod omnibus liquido palam pateat. Concordat imò fortius Aquinas, hoc solum, inquit, esse debet in mutandis legibus, ut maxima & euidentissima utilitas ex nouo statuto proueniat. i. ij. q. ix. ar. i. & ij. necq; mirum, quoniam princeps non nisi iustas leges potest condere. Iustitia pendet a publica utilitate, cuius gratia princeps est, & idcirco si tenetur iustas ferre, consequens sit, iuste positas, sine iustiori causa tollere ne possit, quia cõtra publicã utilitatem esset, ut hic liquet. Dispiciamus utrum in nouandis legibus præsumendũ sit principem iusta causa moueri: tamen si pro principe uulgaris præsumptio sit, ut quicquid agit, iuste agat. Verũ quia Vlp. ait, euidentis esse debet in abrogandis iustis legibus: & Aquinas maximam & euidentissimam exigit utilitatem, puto non sufficere uulgarem illam præsumptionem: necq; iniuria, si in abrogandis iustis legibus non præsumitur pro principe,

Cy. Bar. Bal. et docto. in l. si. C. si. contra ius uel uti. pu. et l. rescripta. de pr. imp. off.

A principe, quia iustitia antiquæ legis repugnat: unde conflatur dogma, Quando factum principis est contra publicam utilitatem, aut æquitatem, cessat pro eo præsumptio: & in hoc hæc lex est notabilis. Similiter in ijs qui iuris diuini si dispensatur causa non præsumitur. Abbas in c. quæ in ecclesiariũ. de consti. & Feli. li. col. Pet. consilio. cccviii. nisi liber. Rursus idem quando Princ. uellet ire contra propriam cõventionem. idem Abbas ibidem. Insuper Feli. col. xliij. scribit, qd causa in principe præsumatur non iure expressim, sed sola nititur auctoritate: quod si uerum esset, sequeretur quod omnis principis dispositio contra ius diuinum & naturale ualida foret, quia raro eueniat ad saluandum actum non possit aliqua iusta causa imaginari, & tamen possibile est quod illa causa imaginata uera non sit: Concludit ergo quod causa sit apparens uel expresse hic Fel.

DE STATV HOMINVM

PAVLVS.

Qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur quoties de commodis ipsius partus quæritur.

Non illepide quæri potest, Vtrum qui in utero est, iure fictionis, an alia ratione inter natos numeretur: Bar. existimat fingi natum, in quod omnes ferè inclinante uidentur, excepto Imol. & Sozino fil. qui non fingi, sed prærogatiua quadam inter natos connumerari putant: quibus accedo, illa in primis ratione, quod fictio non debet plus ualere quam ueritas: sed qui uere nascitur, ad utranq; fortunam nascitur, scilicet ad commoda pariter & incommoda: eodem modo eum qui sicte nascitur, ad utranq; fortunam natum haberi conuenit. Fictio enim imitatur naturam, & contra naturam stare non potest: sed nasci quem ad commoda tantũ, est contra naturæ institutum, ergo nec hic fingi potest.

in repe. l. si. qui de usufructu.

L. adoptio. de adopti. in l. antiqui. si pars hære. pe.

Et quod fauore prærogatiuæ hoc ei indultum sit Paul. Iurecon. sic docet: Antiqui libero uentri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei iura integra reseruarent, sicut apparet in iure hæreditario &c. Ecce dicit prospectum, non dicit fictum: & in tempus nascendi reseruata iura, quæ non reseruarentur, si natus fingeretur. Et hoc idem sentit Baldus in d. l. qui in. Et ut clarius liqueat, pone, SIT LEX, Scholares tractentur ut ciues. ITEM ALIA LEX, Doctores sint ciues. In primo casu Bart. tradit scholarium fauore factam legem, & ideo oneribus non grauandos. In secundo casu Pet. & Bal. ad onera pariter & honores doctores uocari. Castreñ. nimirum, inquit, quia lex non facit ciuem eum quem uult tractari ut ciuem, & est quædam dispensatio, quæ quò ad quædam fieri potest. At ubi lex ciuem facit, ad onera & honores hoc facit: quia non potest esse, inquit, in duplici statu contrario, ut sit ciuis & non ciuis, ut sit seruus & liber, legitimus & illegitimus, quæ omnia nostrã opinionem confirmant.

PAVLVS.

Septimo mense nasci perfectum partum iam receptum est, propter auctoritatem sapientissimi uiri Hippocratis.

Ecce quomodo nudæ Hippocratis auctoritati acquieuit antiquitas. et per hanc legem in commentarijs ad .§. responsa prudentum, defendi ualidissimum esse in iure argumentum ab auctoritate, ubi lex & ratio naturalis deficit, & sapientis dicto statu

C Sto standum, alioquin non esset differentia inter sapientem & peritum, de quo ibi plenissime tractavi.

Nec prætereundus Accursij error hic dicentis, iustum partum à septimo usq; x. mensem finitum, & non ultra nasci. In quem errorem lapsi omnes videntur, non animaduertentes in l. Gallus esse textum apertum, iustum partum etiam xi. mense nasci: fugit eos differentia inter x. menses mortis, & x. menses cōceptus. cætera in l. Gallus explicavi, qui error nullo pacto ferendus est, quoniam in partus ac muliebris pudoris uergit non leue detrimentum.

DE IIS QVI SVNT SVI VEL ALIENI IURIS

VLP IANVS.

Filium eum definimus, qui ex uiro & uxore eius nascitur: sed si fingamus abfuisse maritum, uerbi gratia, post decennium reuersum, aniculum inuenisse in domo sua, placet nobis Iuliani sententia, hunc non esse mariti filiū. Non tamen ferendum, Iulianus ait, eum qui cū uxore sua assidue moratus, noluit filium agnoscere quasi non suum. Sed mihi uidetur quod et Scauola probat, si constat maritū aliquandiu cum uxore non concubuisse, infirmitate interueniente, uel alia causa, uel si ea ualitudine paterfamiliās fuit ut generare non posset, hunc qui in domo natus est (licet uicinis scientibus) filium non esse.

D Bar. totum suum summarium claudit uerbo nascitur, scilicet ut is legitimus sit, qui ex uiro & uxore eius nascitur, & constante matrimonio nascitur, & ex cohabitantibus nascitur, & ad matrimonium (ut eius uerbis utar) contrahendum & generandum habilibus, hæc Bar. melius uerbo concipitur, clauderentur. De illo quod coniuges sint tales, quod inter eos contrahi matrimonium possit, nihil in hac lege, & quod ex cohabitantibus coniugibus ac constante matrimonio nascatur, quod uerum si esset, posthumus non nasceretur suus, quia soluto matrimonio nascitur: & qui patre, post grauidam coniugem, peregre agente nascitur, filius non foret. At Scauola mulierem grauidam & à marito repudiatam, & absente eo *in l. si. de prob.* xam, legitimū marito peperisse respondit.

VLP IANVS.

Filium eum definimus, qui ex uiro & uxore eius nascitur.

Hæc plenissima est definitio, cui neq; addi neque adimi quid potest. Verum quia suapte natura probatu impossibile est, quem uero ex marito uatū, & inter dū à marito negatur ex senatus, sapientes censuerunt in his speciebus & alijs quæ probatu difficiles sunt, uerisimilitudinem sequendā, & quod uero proximā est, pro ueritate habendum. Si de statu ergo sit controuersia, exprimitur hic una regula, & tres contrariæ subiiciuntur exceptiones, quæ coniecturata & obliquæ concludunt: & ut non uere probari potest ex marito natus, ita ex contrario, nec uere probari potest ex marito nō natus, sed per syllogismum utraq; sit probatio, & fortior præsumptio uincit, & illa fortior est quæ magis necessariō docet.

Regulare itaq; est ex Iuliani sententia, qui in domo mariti ex eius uxore quæ cum eo mansit nascitur, uicinis scientibus, coniectura mariti sit filius. Et hæc plena est probatio: & idcirco Iulianus respondit, non ferendum eum qui cum uxore sua assidue commoratus est, si nolit domi suæ natum agnoscere: & uerbum assidue hic

ut l. si uicinis c. de nup.

A due hic pro frequenter Baldus recte accipit. Hæc præsumptio quæ ex domo nato ducitur, si doceatur maritū longo tempore abfuisse, & redeuntem inuenisse aniculum, aut uxorem prægnantem, infringitur. Et obserua non ociose aniculum dictum de illo marito, qui post decennium redijt. Sed si reperisset natum intra decem menses suæ protectionis, cogere agnoscere.

Item præsumptio quæ ex contubernio coniugali trahitur, si constat maritum cum uxore sua non concubuisse, tollitur. Item si maritus eius ualetudinis fuisset quod generare nequiuisset. Et nota eos qui generare non possunt, ualetudinis narios haberi posse. Confert quod, quæ ita arcta est, ut cognosci non ualeat, non sana definitur. Propter hoc enim quod hominis corpus ad officium generandi inutile redditur, morbose definitione contineri posse autumo. Regula ergo sit, is ex uiro & uxore eius natus creditur, qui in mariti domo uicinis scientibus nascitur. Fallit si marito peregre agente concipitur. Item si maritus ægritudine uel alia causa coire non potuit. Idem si generandi uim maritus non habuit, quæ plene probanda sunt.

Si constat &c. Vlpianus ait, alioquin sufficit liquere in domo mariti, testimonio uicinorum natum esse.

Ex uiro & uxore, ergo qui non ex uiro & uxore nascitur non est filius: & propterea basis huius definitionis est iustum matrimonium: unde fit naturales & alios extra maritalem torum natos non esse filios, quodq; hæc uox filij simpliciter dicta de legitimo & naturali est intelligenda, & uerba in potiori significato accipienda. Cy. & Bald. Hinc item efficitur nepotes non esse filios. Item naturales non esse de domo, siue de stirpe, neq; habere insignia: & qui promittit neminem de domo sua nociturum, si noceat alius quàm legitimus, stipulatio non committitur. Dy. in l. cum pater. §. mater. de le. ij. Et emphitheosis concessa Titio & filijs ad naturales non pertinet. Idem Dy. in l. Lucius. §. Dame. de le. ij. Et præstat argumentum de priuilegio concessio, si filios habuerit, non prodesse naturales, Baldus hic, & statutum, ex uiro & uxore natus succedat. Legitimus per sequens matrimonium non succedit, quia non erāt partus tempore coniuges.

Idem si lex dicat de matrimonio natus, notatur in c. innotuit. de elect. Gofredus in summa de fil. presb. & Bal. hic.

L. i. §. si is qui longo. de lib. agno. Arg. l. intestat. de suis et legi. et l. gallus. L. queritur. §. mulierem. de edil. edi. L. i. §. sciendū. de edil. edi.

DE SENATORIBVS

Quare non scriptus est titulus, de officio Senatorū, sicut de off. Confl. & aliorum sequentium? Respondeo, quia non est Magistratus, & idcirco Pomponius supra de Origine iuris, inter alios magistratus non connumerat. Est enim ordinis & dignitatis. Nam Romulus in consilium suum centum seniores populi adsciuit, quos Senatores & patres appellauit, à quibus proles postea patritia. Tarquinius Priscus alios centum adiecit, quos Liuius minorum gentium dictos meminit, Patresq; conscripti tunc primum cœpti nominari. Censores postea alios multos adiunxerunt, ac Dictatores, qui ad hoc ipsum sæpe creati feruntur. Diuus postea Augustus cum inuenisset supra mille incelebris turbæ Senatores, reiectis indignis ad pristinum splendorem redegit. Neque idem sequentibus temporibus semper numerus. Fallitur ergo Accursius, qui ubiq; aliter uerat Centumuirale iudicium fuisse, centum Senatorum. Nam xxx. Tribus Romæ erant, & ex singulis tres legebantur iudices, adeo quod c. & v. seles

Senatores. Patres cōscr. Patrij. Centumuirale iudicium.

Centorum uirorum numerum complebant, commodioris tamen dictionis causa Centumuirum & Centumuirale iudicium dici usurpatum est. De quibus autem causis ius dicebant, Cicero memorat libro de Oratore. Præterea Ulpianus ueram tradit Senatorum definitionem, claram, & imperito cuique obuiam, quam Accursius & Accursiani ferè omnes non intellexerunt.

V L P I A N V S.

Senatores sunt, inquit, qui in Senatu sententiam dicere possunt.

Sententiam dicere.

Accursius glossula interlineari, id est recitando ait: Sententiam in Senatu dicere, pro pronunciare de causa intellexit; ignarus non aliud fuisse sententiam in Senatu dicere quam in consilio Senatus quid sentiret explicare, de eo quod in consultationem positum erat, & à consultando S. C. dictum.

V L P I A N V S.

Consulari foeminae utique consularium uirum præferendum nemo ambigit, sed præfectorius an consulari foeminae præferatur uidentium est: & puto præferri, quia maior dignitas est in sexu uirili.

D

L. foeminae infra eod.

In corpore Iuris forte non est textus clarior, neque structura extricator, neque uerbis minus ambiguus, & tamen Bar. sic interpretatur summam: Vir in dignitate positus, præfertur in dignitate uxori, & quandoque bonus dormitat Homerus. Hic de marito & uxore nullum uerbum, & stultum fuisset dubitare, an maritus humilis quantumuis conditionis, præferri uxori debeat. Utique Senatoris filia plebeio si nupserit, sit plebeia, & consularis definit esse consularis. Monstruosa res esset, maritum in honore cedere uxori. Apostolus: Subdita sit uiro uxor. Verus itaque sensus talis meo iudicio est: Sexus uirilis intantum præstat foemineo, quod mares paris aut inferioris dignitatis præferuntur foeminis, maioris etiam dignitatis, h. uere, d.

Archi. c. i. de const. lib. VI. Doct. in c. de multa. de præben. Anchara. in cle. si dignitate. eod. titulo.

L. i. de albo scr.

Non ignorabatur dignitas præfectoria quin cederet consulari, sed sexus discrimina fecerunt quaestionem: & admonendi sumus quod dignitatis appellatio antiquitus erat, non ut à Canonibus definitur, qui administrationem esse dicunt cum iurisdictione. Antiquitus dignitates potius in priuatis personis, & ideo mulieribus communes erant, ueterique instituto magistratus ipsi deferebant dignitates, id est, finitis honoribus remanebant dignitates, ut qui consul fuerat, consularis perpetuo esset, ex præfectura præfectorius, ex prætura prætorius, ex quaestura, quaestorius, & sic de reliquis. Consularis itaque uir qui consularium gesserat, omnes alios ciues, qui uel non fuerunt, uel post se consules fuerunt, in dignitate præibat, adeo quod si ipse iterum factus esset consul cum eo qui antea non extiterat, prior fasces sumebat, licet collega ætate uenerabilior, aut natalibus nobilior esset. Cornelius Tacitus libro tertio: Atteio Capitoni Augusti consulatum accelerauit, ut Labeonem Antistitium his de artibus præcellentem dignatione eius magistratus anteiret: & eius præcellentiae erant dignitates, cuius fuerant honores, id est ex maioribus magistratibus maiores, ex minoribus inferiores dignitates. Mulieres autem maritæ eiusdem dignitatis erant, cuius earum uiri.

Hinc orta inter uirum præfectorium & mulierem consularium de præcedentibus

Antia controuersia. Pro muliere erat quod consularis dignitas maior est præfectoria. Ex altera parte dicebatur, in sexu uirili dignitatem ita præualere, quod maior dignitas in mulieribus cedit uiris inferioris dignitatis. Minor ergo dignitas in uiris honorificentior esse conuenit maioribus dignitatibus mulierum. & in his hæc lex est ualde notabilis. Et aduerte quod hæc quaestio non potuit esse inter maritum præfectorium & uxorem consularium, ut Bartolus male credidit, quia si erant coniuges non poterant esse diuersæ dignitatis: & ideo uxor iam facta fuisset præfectoria, & diuinatio esset quod beneficio principis remansisset consularis. Atqui talis impetratio inter impossibilia computatur.

Ulpianus ait: Et puto præferri, quia maior dignitas est in sexu uirili.

Soluamus horum uerborum ambiguitatem. Si intelligeremus ideo præferri, quia dignior est sexus uirilis, in quod inclinat Accursius, dicens præferendum priuilegio sexus, ut l. in multis, consequens fieret ut non solum uir præfectorius, sed quisquis alius uirilis sexus etiam sine dignitate præferri deberet: stulteque tantum Ulpianus dubitasset de uiro præfectorio, si alij dignitatum expertes præferendi forent, non ob aliud nisi quod uirilis sexus essent. Et propterea accipienda hæc uerba arbitror, quia maior est in sexu uirili dignitas scilicet præfectoria, quam in muliebri consularis, & hic sine lite sensus est.

Dispiciamus de quo præfectorio loquitur Ulpianus, utrum de eo qui præfecturam gessit prætorij Cæsarei (quæ primum locum tenebat post consulatum) an de eo qui urbicam præfecturam administrauit, quæ secundum locum obtinebat, ut ex ordine titulorum hic apparet: Subsisto, quoniam ex utraque præfectura magna quaeritur dignitas, quamuis uerba de potiori soleant intelligi, nihilominus quia Ulpianus non distinxit, neque ego audeo distinguere.

Quid si prætorius uir sit qui præfectorius proximus & de maioribus est dignitatibus: exempla plus æquo non arctant, & ideo non male fortassis idem etiam de reliquis maioribus dignitatibus dicendum. Illud tamen mihi persuadeo, uirum prætorium mulieri, præfectoriae præferendum, sicuti præfectorius mulierem consulari præcedit. Quid de uiris plebeiae dignitatis, an cedent consulari foeminae: puto cedere. Multum me mouet quod Ulpianus dubitauit de maioribus dignitatibus, et consulari proximioribus, quæ omnia saepe usui esse poterunt, ubi aliud noui mores non induxerunt.

Accursius querit de qua prælatione hic agitur, & quosdam enumerat casus, quos nec probonec improbo, Illud tamen indubium apud me est, de præcedentia Ulpianum hic loqui.

Ultimo idem Accursius hic unam conficit regulam, scilicet quod in generali sermone loquentis persona non continetur. Bar. & Doct. late examinant.

Mihi uero hæc regula nimis fallax esse uidetur propter uarias & multas exceptiones quas patitur, adeo quod in angustissimum angulum dispungitur, quod à regulis est alienum. Utrum autem loquentis persona comprehendatur, pendere plus arbitror primum à subiecta materia: & recte idcirco Pet. & Cynus putant inspiciendam naturam contractus. Deinde ab eo quod est uerisimilius, ut dicimus in obligatione generali non uenire, quod quis specialiter non promississet. Et in quaestione Bar. promitto tibi commodare domum meam, contra quoscunque non includitur persona, inquit, promittentis. Concedo, ueruntamen in causa non est generalis sermo, sed quia non est uerisimile contra se promississet. Idem statuendum arbitror in eo qui arma promissit, aut testimonium

L. i. de reg. iur. et Dy. in rubrica eiusdem tituli libro sexto.

C dicere aduocatus'ue adesse, & his similia, & non solum receptam promittentis personam autumo, uerumetiam omnes alios, quos charos habet tueri; debet, uxorem, liberos, parentes, fratres, agnatos, pupillos & ceteros quibus officium debetur, quibus'ue illata contumelia nos afficit. Plus sentio si nominatim promississet contra se & alios, quos debet tueri, contra bonos mores inualide promississe. Deposuisti apud me arma aut magnam pecuniam, & promisi ad nutum restituere contra quoscunq; illis uti uoles: moues bellum in patriam meam, reposcis arma aut pecunias in supplementum belli. Contra officium facerem, quod patriae debeo, si restituerem. Receptus utiq; ex bono & aequo hic casus uidetur. Fur deposuit apud me rem, quam postea rescui meam, repetenti restituere non debeo, quia non constitit depositum, & bona fides non fouet malitiam. l. bona fides deposit.

DE OFFI PRAEF PRAET

EX LEGE PRIMA, § VLT.

AVRELIVS.

Credidit enim Princeps eos qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicatuos esse pro sapientia & luce dignitatis suae quam ipse foret iudicaturus.

D Quae causa est quod a Principe non est prouocatio, an ut uulgo dicitur quod non alia supereminet persona, quae appellari queat? quod si uerum esset, a Praefecto praetorio & a Senatu fuisset prouocatio. An quod lege Regia populus sic sciuit? Nam ab initio post exactos Reges summum imperium penes consules fuisse traditur, ita quod ab eis non erat prouocatio: postea lege lata, & rogante P. Valerio Publicola c. o. s. factum fuit, ut a Consulibus esset id populum prouocatio. Id idem potuisset de Principe statui, similiter & Senatu. Sed non implet sensus speculantis pro ratione uoluntas: igitur scrutanda causa est quae mouet legislatorem populum.

Fortissima proculdubio ac uerissima hic exprimitur, & mirum nasum Accursum & aliorum fugisse; ea scilicet est, quod constanti opinione credibile sit eos qui Augustali praetorio praeficiuntur, iuste omnino iudicatuos, et ubi iudicatum est, non iniuste iudicasse, & hoc est quod ait. Credidit Princeps non aliter iudicatuos quam ipse foret iudicaturus. Arguunt haec uerba, uelut a Principe non est prouocatio, propterea quod indubie creditur iuste iudicatuos, & eadem ratione a Praefecto praetorio non est prouocatio, quoniam creditur non aliter iudicaturus quam Princeps.

Collige ergo quod iustitia iudicij causa est inhibendae appellationis, & a iusta iudicatione non sit prouocatio. Vnde deduci posse uidetur quod notorie a iusta sententia cuiusuis iudicis non sit prouocatio, & in hoc lex haec est mirabilis, quod sic ostendo: Si a sententia praefecti praetorio, similiter & a sententia Principis ideo non est appellatio, quia creditur iuste iudicatum, nonne fortius inhibita debet esse appellatio, quando uere & notorie constat iuste iudicatum? & intelligo iuste iudicatum ita perorata causa quod nec quicquam extet quod a litigatoribus proferri possit.

Notorie inter caetera liquere sentio confessione eius, contra quem dicta est sententia.

A sententia, autoritate sapientissimi Innocentij per locum ab oppositis, qui censuit rem iudicatam notorie iniustam retractanda; & notorie constare tum dixit, quando pars secundum quam lata est sententia, faretur iniustam.

Propter quid est quod tam ualida de his est opinio, ut iuste omnino ius dicant: est enim a Principum prouidentia, qui ad tantum tribunal, non nisi singularis sapientiae uiros deligunt, diligenter explorata eorum fide & grauitate, ita quod credibile est non aliter eos quam pro sapientia & luce dignitatis suae iudicatuos, id est suam existimationem male iudicatis nunquam labefacturos. Quae omnia perspecta fuere in sapientissimo Aemilio Papiniano, qui a Diuo Alexandro praefectus praetorio assessores habuit Vlpianum & Paulum, iuris uertices, a quibus iniustum iudicium timere, non nisi cauillantibus aut de iure suo diffidentibus hominibus fuisset. Is idem Papinianus iussus ab Antonino Imp. paricidium excusare, quod pro sapientia & luce dignitatis suae fieri non poterat, occidi maluit.

Hinc sese multa notatu digna offerunt, & in primis quam magna praesumptio sit pro gestis sapientum, & pro iis quos inter sapientes probauit Princeps. Multo ualidior praesumptio pro gestis a Principe, qui ita uir bonus & sapiens est habitus, quod meruit sibi totius orbis credi gubernacula iustitiae, sine prouocatione: quae a sapientibus fiunt, sapienter ac iuste facta creduntur. Item quod pro magnitudine officij par administrantium splendor exigitur.

Et ex qualitate officij arguitur qualitas administrantium, quando per exploratam uirtutem eliguntur, id est certa scientia, Existimo haec uerba, explorata nobis fides, doctrina, integritas & caetera, in egijs Principum habere uim clausulae, ex certa scientia circa hominis dignitatem, existimationem, conditionem, hic casus.

B Quod praefectura accepit incrementum, & ad tantum culmen sublata fuit propter excellentiam personarum, quae ad id assumi consueuerunt, sit deferendos iis honores esse a quibus magistratus decus & ornamentum capere possunt, non autem iis qui a magistratibus ornari indigent.

Postremo Accursius praefecto praetorio aequiparat Cardinales, quod Bar. dicit ualde notandum: mihi uero insulsa nimis eiusmodi comparatio uidetur, ea in primis ratione, quod praefectus praetorio generalem causarum cognitionem cum summo (pro Caesare) imperio ac gladij potestate exercebat, nec aliud erat praefectus praetorio, quam praefectus auditorio Caesaris. Cardinales autem horum nihil habent, nulliq; tribunali praesunt, & Senatoribus magis aequiparandi. Plus, meo iudicio, similitudinis cum praefecto praetorio hodie obtinent praefecti praetorio Apostolico, qui uulgo auditores rotae dicuntur, quamuis criminalem cognitionem non habeant. Fuerunt & alij praefecti praetorio Africae, & praefecti praetorio orientis & Illyrici, ut in Codice Iustiniano, a quibus prouocatio non erat inhibita.

DE OFFI PRAEF VRBIS

EX LEGE PRIMA.

VLPIANVS.

Cura carnis omnis ut iusto pretio praebetur, ad curam praefecti pertinet: & ideo forum suarium sub ipsius cura est: sed & caeterorum pecorum siue armentorum quae ad huiusmodi praebitionem spectant, ad ipsius curam pertinent.

Facit quod in notorijs non appellatur. c. cum spali. §. porro. c. cum sit. c. peruenit. c. consulu it. de appellati onibus. & quod in iure confessus secundu canones non appellat. c. Romana. §. Sim aut. de appel. li. vi. Glo. et iust. in l. creditor. §. iussus. ff. quoru appellationes. Si uero ius civile spectes, confessus et conuictus no appellat, quia faciunt notoria l. ij. c. quorum appellationes.

In c. quia plebriq; de immu. eccle.

Facit c. fi. et c. uestra. de coha. cle. & mul.

Acc. Papi nianus.

C In Carinis inter ruinas effossum uidimus lapidem in quo hoc edictum scriptum erat.

EX AVTORITATE TVRCI APRONIANI, V. C.
PRAEFECTI VRBIS.

*Nota contra
glossas et docto-
res, praefectum
urbis, uirum clas-
sissimum appel-
lari.*

Ratio docuit, utilitate suadente, consuetudine micandi summoti, sub exagio potius pecora uendere, quam digitis concludentibus tradere, ut appenso pecore, capite, pedibus, & saeuo lactente & subgulari, lanio cedentibus, reliqua caro cum pelle & interraneis proficiat uenditori, sub conspectu publico, fide ponderis comprobata, ut quantum caro occisi pecoris appendat, & emptor norit, & uenditor, commodis omnibus, & praeda damnata, quam Tribun. officium, cancellarius, & scriba, de pecuarijs capere consueuerant, quae forma interdicti, & dispositionis, sub gladij periculo perpetuo, custodienda mandatur. Redeo ad Vlpiani uerba.

Sed & caeterorum pecorum &c.

Quae ad forum boarium pertinent, quod utrunque forum boarium & suarium erat in campo qui iacet inter Capitolium, Palatium, Auentinum & Aram Herculis, ubi adhuc eadem negotiationes exercentur.

Et ideo forum suarium sub ipsius cura est.

D Nota ad quem cura carnis spectat, ad eundem etiam fori suarij & boarij, ubi pecora lanij uenduntur, petinere; & qui curam carnijs habet etiam curam, habet animalium, ex quibus uenalis fit caro; & similiter qui curam habet carnis, habet etiam curam loci ubi carnes & pecora lanij uenduntur. Hinc pariter dicendum arbitror, qui curam habet annonae frumentariae, habeat etiam curam agrorum ferendorum, & fori, ubi frumenta publice uenduntur. Et generaliter qui curam habet alicuius negotiationis, habet etiam curam illius loci ubi eiusmodi negotiationis exercetur, & controuersiarum quae inter negociatres oboriuntur, cognitionem, & delictorum quae ibi fiunt, coertionem. Verbum autem cura hic pro solitudine, imperio, & iurisdictione intelligo, quia in magistratibus sic accipi solet, quae cura hodie ad Conseruatores primum magistratum urbis pertinet.

PAVLVS.

Adiri ab argentarijs uel aduersus eos, ex epistola Diui Hadriani etiam in pecuniarijs causis potest.

Argentarij in foro boario negotiabantur, & ideo praefectoria iurisdictionis erant, ut patet in epigrammate quod est in foro boario, iuxta aedem sancti Georgij. Haec uerba, etiam in pecuniarijs causis potest, arguunt Praefectum Urbis generalem causarum ciuilijs cognitionem non habuisse, nisi inter argentarios.

VLP IANVS.

Praefectus Urbis cum terminos Urbis exierit, potestatem non habet extra urbem, id est territorium urbis.

Obserua Urbis appellatione territorium.

Sed iubere iudicare potest.

Nota delegare causas & iubere iudicare non esse iurisdictionis contentiosae quod

A quod si esset, non posset extra territorij, terminos exerceri, ut hic & lege ultima, de iure omnium iudicum.

DE OFFI. PROCONS. ET LEGAT.

IN LEGE, NE QVICQVAM.

VLP IANVS.

Vbi decretum necessarium est, per libellum id expedire procons. non poterit. Omnia enim quaecunque causae cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

Hic agitur de Proconsulis potestate. Quaestio est, utrum decreta necessaria, id est solennia, queant per libellos, id est schedulas extra ordinem expediri. Causa dubitandi forte fuit, quod Proconsul, qui supremus in prouincia magistratus cum summo imperio & potestate uidebatur ad instar Principis solutus solennibus iudicijs, posset per libellos omnia expedire. Contextus est facilis, uocabula non recondita, & ratio decidendi minime obscura. unde tot glossae, diuinari sensus non uideo. Nodum (ut alibi perlepide Alciatus dixit) in scirpo fecerunt, quibus qui assentitur, credat oportet Vlpianum latuisse uocabulorum uim, quibus usus est, quod non aliud est quam inscitiae redarguere iureconsultum. Quis non nisi stultissimus iudicem delegatum uolens exprimere, libellum dixerit? Raphael & Iason fatentur improprie id uerbum accipi, mallet dixissent inepte, impertinenter & uitiose, nam impropria locutio non uitiat, sed inepta, & ideo si prudens pro delegato libellum exprimat, nihil agit, ueluti qui uestem pro suppellectili, & bouem pro asino, nihil loquitur.

*An decreta per
libellos expe-
diantur.*

*Arg. l. iij. de le-
ga. i. et l. labeo.
de suppl. leg.*

Ex hoc falso intellectu faciunt regulam, Vbiunque decretum cum causae cognitione interponendum est, delegari non posse: unde consequens fit, quod quae causae cognitionem requirunt, delegari non ualeant. Ratio ab Vlpiano adducta non hoc dicit, neque de hoc consultus fuit, sed solum, an decreta solennia quarent per libellos a Proconsule expediri, & respondit non posse, ea ratione, quod causae cognitionem exigunt, & quaecunque causae cognitionem exigunt, non possunt per libellos expediri. Per libellum, ait, Proconsul expedire non poterit. de actu, ergo per ipsummet Proconsulem & non alium consummando loquitur. de mandata autem cognitione, neque uerbum, neque uestigium ullum in textu est.

Si quae causae cognitionem desiderant, nequeunt delegari, paucissima profecto essent delegabiles, quia rarissimae sunt quae sine causae cognitione expediri ualeant. Neque admittendam illam distinctionem arbitror, inter plenam & non plenam cognitionem. Quo ad ius delegandi didici fieri differentias inter causas maiores & minores, post constitutionem Diocletianam, per quam intelligimus, temporibus Vlpiani omnes causas pecuniarias delegari solitas, qui sub Diuo Alexandro floruit multum ante Diocletianum. Praeterea, ut quid darentur iudices, si cognitio non est necessaria? neque sequitur, minores causae sunt, ergo aut non plenae, aut nullius cognitionis sunt. Maiores & minores causas, ex qualitate personarum & rerum puto definiendas. Magna proculdubio restrictio esset, si non nisi causae quae plenae cognitionis non sunt, delegari possent, nam receptum est, leuioris coertionis causas meri imperij demandari posse, & tamen plenae cognitionis sunt, quia poenales.

*L. ij. C. de pes-
da. iudi.*

C Item conveniunt doctores ferè omnes, solas causas ccc. aureorum, & intra demandari posse, quod nullo iure mihi probatur. Mouentur Diocletiana constitutione, quos merito deridet Alcianus in Paradoxis, cum in ea constitutione, nulla ccc. solidorum fiat mentio, sed nouello iure à Iustiniano taxata. Defensorum ciuitatis cognitio ad ccc. solidos fuit, & aliorum iudicum ita ordinatorum: nam inter Diocletianum & Iustinianum intercurrerunt cc. propè anni, & sic impossibile est Diocletianum de ea summa sensisse, quæ post cc. annos taxanda ignorabatur, & dato non nisi intra ccc. aureos delegari causæ queant (ut uulgò creditur) quis dixerit causas ccc. uel cc. uel c. solidorum non esse plenæ cognitionis? ut quid Iustinianus iuris sapientes octo iudices & alios quatuor consumatæ doctrinæ, quos maiores iudices nuncupari uoluit, ad huiuscemodi causas discipandas constituit, si non essent plenæ cognitionis? qualitas enim personarum arguit pondus cognitionis. Manifestum itaque fieri uidetur, causas plenæ cognitionis esse delegabiles.

Ar. l. i. de offi. præf. præto.

Plus posse defendi autumo illas Iustinianas nouellas constitutiones, quæ taxant cognitionem defensorum ciuitatis, & sic magistratuum municipalium, & aliorum suorum iudicum, ad ccc. solidos non habere locum in maioribus magistratibus urbicis, scilicet consulibus, præfectis prætoribus, & præsidibus prouinciarum, quos in eadem constitutione de iudicibus, administratores idem Iustinianus nominat, quorum longe dispar est conditio, & in demandandis cognitionibus non imminuta potestas, licet Accur. contrarium dixerit in l. imperium.

Vbi decretum necessarium est.

De his actibus loquitur Vlpianus, quæ sine Decreto inutiliter fiunt, ut rerum pupillarum alienationes, de alimentis transactiones, & similia.

D Necessarium ait, ad differentiam aliorum decretorum, quæ non sunt ad substantiam actus, & ideo de decretis solennibus intelligere hunc textum oportet, & non de sententia. Nam sententia non est ad alium actum necessaria, sed ad se ipsam, & reliqua iudicialia acta propter ipsam tanquam finem suam sunt ordinata.

e. quoniam contra. de proba. et l. properandum. C. de iud.

Idem ait, per libellum id expedire Proconsul. non poterit.

Vnde sequitur quod nec alius se inferior expedire possit. Nota igitur quod superior premus quantumuis post Principem magistratus non est solutus solennibus iudiciorum, ergo nec legatus de latere Pontificis, qui æquiparatur Proconsuli.

libellus.

Libellus est diminutium à libro: liber uero est inferior cortex arborum, in quo ueteres ante usum chartarum scribebant, & est uocabulum generale, quod ab adiuncto nomen assumit speciei, ut libellus repudiij, libellus conuentionalis, accusatorius, supplicatorius. Omnis itaque parua scriptura libelli uoce significatur.

Sensus ergo est, Decreta necessaria ad actus, & quæcumque causæ cognitionem desiderant, non possunt per schedulas expediri, sed Prætoris præsentia pro tribunali, & uoce propria solenniter agentis, & hoc est solenniter interponere decreta: similiter & hoc idem esse intelligo non per libellos expedire. Hæc uerba, causa cognita, non solum exigunt litigantium præsentiam, uerum etiam prætoris pro tribunali sedentis et solenniter cognoscentis personam. Paul. Vbi cumque causæ cognitio est, ibi Prætor desideratur. Solus literatissimus ac consultissimus A. Alcianus hunc locum, meo iudicio, intellexit, & interpretatus est recte lib. ij. paradoxorum, capite xix. cæteræ hic glo. uacillationes præbuerunt ansam doctoribus inuestigandi, ac cumulandi multa quotidiana & utilia de citationibus, de libellis conuentionalibus, & de legationibus & Decretis interponendis, quæ cuique liberum est & utile uidere.

EX BA

EX EADEN LEGE ET .§. DE PLANO.

Comminari etiam & terrere filium à patre oblatum, qui non, ut oportet, conuersari dicatur.

Notatu digna sunt uerba hæc, quorum sensus est: Proconsul filios dissolutos à parentibus exhibitos, de non bonis moribus minis admonere ita debet, ut terri ad bonam frugem redeant. Et quod de Proconsule hic scriptum est, idem de cæteris magistratibus intelligendum.

Quid si ignarus pater, filium capitaliter criminofum obtulerit terrendum, interrogari ne poterit de alio crimine ab eo, propter quod oblatum est? corripiet ne Proconsul & emendatum patri reddet, an iusto supplicio subijciet? plurius ne faciet paternam pietatem quam publicam disciplinam? Quid si sciens criminofum exhibeat puniendum? An ueluti pater non admittitur ad accusandum, neque testificandum contra filium, ita nec si offerat filium, supplicio audiendus est, & extinguenda impia & cæca parentum in liberos ira, non minus quam lites & odia?

Vidimus Stephanum Velleum uirum conseruatoralem, filium suum qui uxorem fratris occiderat, Prætori obtulisse puniendum, nec exorari potuit quin se curi percuteretur, oblata etiam Pontificis indulgentia: at Imp. Arcad. & Honor. rescripserunt funestam uocem amputandam magis quam audiendam. Diuino, rescripserunt non audiendum, sed in exilium damnandum eum qui fratrem de non leui crimine accusabat.

in l. penult. qui accus. in l. si magnam qui accus.

EX .§. OBSERVARE EIVSD. LEG.

B Obseruare itaque eum oportet, ut sit ordo aliquis postulantium, scilicet, ut omnium desideria audiantur, ne forte dum honori postulantium datur, uel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferant, quia aut omnino non adhibuerunt, aut minus frequentes, neque in aliqua dignitate positos aduocatos sibi prospexerunt.

Obserua quod æque prospicere in ordine postulandi Proconsul debet, tam his qui aduocatos minus frequentes, id est, incelebres & inhonoratos adhibent, quam his qui nullos adhibent.

Et sic paria esse, quo ad hunc effectum, humiles aduocatos & nullos aduocatos habere. Disce ergo litigator, ne excellentioribus aduocatis inferiores opponas.

EX EODEM.

Plerumque foeminis uel pupillis, uel aliis debilibus.

Nota inter debiles personas, foeminas & pupillos connumerari, alibi Imperator miserabiles nuncupat.

ut C. si imp. interuidu. & pupil.

EX LEGE MEMINISSE.

VLPIANVS.

Meminisse oportebit usque in aduentum successoris omnia debere Procons. agere, cum sit unus Proconsulatus, & utilitas prouinciæ exigat esse aliquem, per quem negocia sua prouinciales explicent.

C Quid in illis locis ubi plures sunt magistratus & maiores & minores qui adiri possint? An post præstitutum tempus ante successoris aduentum perfecterit in officio?

Consultus per hunc textum respondi, cum tempore finitam administrationem esse, ex quo plures supersunt per quos ius dici potest. Per hanc legem, in libello de potestate Cardinalium, scripsi amplissimum ordinem habere imperij exercitationem, mortuo uel impedito Papa in his quæ moram non patiuntur.

DE OFFI. EIVS CUI MAND. EST IURISD.

PAPINIANVS.

Quæcunq; specialiter lege uel S. C. uel Princ. constitutione tribuuntur, mandata iurisdictione non transferuntur: quæ uero iure magistratus competunt, mandari possunt.

Quam interpretationem hæc lex hæcenus receperit, nemo est qui nesciat: & licet minime ab ea recedendum uideatur, meditari tamen aliquid, & in mediis asserere studio assequendæ ueritatis non arbitror reprehensibile: animant me uerborum significationes lucidissimæ, & multorum sapientum non aspernanda autoritas diuersum sentientium, & in primis Pileus, Guido, Suzzarius, Raphaël, Fulgosius, & clarissimus nunc And. Alciatus, & alia quædam, quæ non satis ruminata uidentur.

D Si uerum sensum eruere uolumus, inuestigare oportet, de quo consultus Papinianus sic respondit. Et utique non de alio quæsitum apparet, nisi utrum generaliter iurisdictione mandata transeant etiam ea quæ lege uel S. C. uel Princ. constitut. specialiter tributa sunt magistratibus. Responsum est liquidum, & uerba sunt clara, scilicet mandata generaliter iurisdictione non transferri, quæ specialiter lege & cætera. De generali delegatione intelligamus oportet, quoniam una uel altera causa delegata, non hoc quærendum fuisset, neque sic loquendum proculdubio erat. Valet hic argumentandi modus secundum Ciceronem ad Herennium.

De imperio mero uel mixto, nullum uerbum: & ubi uerba sunt aperta, interpretatio contra manifestam uim uocabulorum nihil ualet. Neq; communis opinio efficere potest, quod uerba dicant id quod non significant.

Accursius & Doct. de mero & mixto imperio hic agi arguunt, ab exemplis præpositis publicorum iudiciorum, Ad quæ multiplex responsio. Prima, quod exempla non arctant. Secunda, quod ex facti contingentia, quod in abusu erat, Papinianus reprehendit magistratus mandantes publica iudicia, quæ specialiter à lege & cætera. Tertia, quod loquitur de ijs quæ specialiter mandata erant, & sic omnis uis statim specialiter à lege delegatis, & non in eo quod mero uel mixto imperij sit. Quarta, quod exempla sunt mero duntaxat imperij & non mixti. De quo mero imperio quod esset indelegabile, non opus erat hoc responso, cum per se sine controuersia indelegabile habeatur, etiam si à lege non detur specialiter.

Præterea Papinianus ait: quæcunq; specialiter lege &c. Uniuersalis est sermo ad omnia, siue sint mero, siue mixti imperij, siue alterius speciei quæ nominatim lege uel S. C. uel Princ. constit. dantur: & in regulis Iuris nemo potest gladij potestatem sibi datam, uel alterius cuiuslibet coërtionis in alium transferre. *Glos.*

l. ille aut ille. §. fi. de leg. iij. l. si quis infundi uocabulo. de leg. i. et l. in ambiguo. de reb. dub.

A re. *Glos.* ibi intelligit ut relegare & similia, quæ mero imperij sunt.

Noto mihi uerbum cuiuslibet, quod est generale ad omnes coërtiones, etiam non mixti imperij, aliàs fuisset superfluum dictum alterius cuiuslibet pro mixto imperio, satis enim fuisset dictio alterius, quæ est de duobus, & non nisi duo sunt, imperia scilicet merum & mixtum.

Similiter & datio tutoris, quam neque imperij, neque iurisdictionis esse; Vlpianus tradit, data specialiter à lege non transfertur. Quod neque imperij, neque iurisdictionis sit, ex illo etiam liquet, quod Tribuni plebis, qui nullam iurisdictionem habebant (ut paulo post docebimus) ex lege Attilia dabant tutores; manifestum est ergo, quæcunq; siue mero siue mixti imperij, siue alterius speciei, etiam quæ iurisdictionis non sunt, si nominatim lege uel S. C. uel constitutione Principum iniunguntur, non in alium transferri. Ex quibus Decius concludi posse autumat, si lex statuatur causas pupillorum apud potestatem agi, nequire delegari, quia nullius imperij essent.

Neque admittenda est ad Vlpiani uerba dicentis, Tutoris datio neque imperij, neque iurisdictionis est, illa sophistica interpretatio, neque imperij, scilicet tantum est, neque iurisdictionis, scilicet tantum est, sed mixti imperij est, quasi Vlpianus hoc uoluerit & nesciuerit dicere. Dicant quæso unde hæc consequentia, neque imperij, neque iurisdictionis est, ergo mixti imperij est? Nonne qui negat imperium, omnino negat merum & mixtum, sicut qui negat animal, negat omnes animalis species? & ubi addideris taxatiuam tantum, uidelicet neq; imperij tantum, neque iurisdictionis tantum, mox oratio efficitur confessoria, quod non aliud est, quam negationem interpretando, uertere in affirmationem. Vlpiani quippe uerba sunt negatoria. Aut enim intelligunt mixti etiam esse imperij, scilicet quod mero & mixti & iurisdictionis sit: Et dubio procul falsum confessione eorundem est, qui intrepide negant iurisdictionis esse dare tutores: Aut intelligunt mixti tantum esse, ita quod neque mero neque iurisdictionis sit, & hoc esse non potest, quia uerba ipsorummet contrarium sonant, Nam hæc ipsorum non Vlpiani sunt uerba, neque imperij tantum, neq; iurisdictionis tantum est. Quæ cæcitas, quod ea uerba quæ ipsi putant negatiua imperij & iurisdictionis esse, non intelligunt esse affirmatiua utriusq;? Exempli gratia: si dixeris, cura legeri non Marij tantum, neq; Titij tantum est, uerus sensus est, hæc cura utriusq; est, & alterius, si quis alius est qui eadem cura tenetur, non autem quod neutrius sit. Hæc itaq; uerba, neq; imperij tantum, neq; iurisdictionis tantum est, significant & imperij & iurisdictionis esse. Neque ad rem quod mixtum est ex utroq; quoniam ex mixtura tertia quædam fit species: ueluti mulsum quod ex uino & melle fit, & tamen neque uinum est, neq; mel, & quod mulsi est neq; uini neq; mellis est. Neq; sequitur hoc neq; mellis tantum est, neq; uini tantum est, ergo est mulsi: sed illud uere sequitur, & uini & mellis hoc esse.

Postremo quis tam uecors, & dicendi imperitus est, qui uolens exprimere quid mixti imperij esse, dicat, neq; imperij neq; iurisdictionis esse?

Ex sequentibus deniq; Vlpiani uerbis liquidius patet falsitas sensui istorum. Puta interrogatum Vlpianum, si neque ei qui habet imperium, neque ei qui iurisdictionem habet, ius dandi tutores competit, cui ergo competit? Vlpianus ab aduersatiua exorsus respondit, sed ei soli competit, cui nominatim lex, uel S. C. uel Princeps dederit: & non dixit, ei soli competit, qui mixti imperij habet exercitationem, quod sciuisset dicere, si hoc sensisset, & quod ei soli competit ait, ergo nemini alij etiam imperium uel iurisdictionem obtinenti. *Inst. de Attiliano tuto.* Si cui nullus omnino fuerat tutor, ei dabatur quidem in urbe Roma

L. tuto. §. tutoris datio. infra de tute. Ut inst. de Attiliano tuto.

C à Prætoře urbano, & maiore parte Tribunorum pl. ex lege Attilia: in prouincijs uero à præsidibus prouinciarum, ex lege Iulia & Titia. Ergo ante legem Iul. & Titiam rectoribus prouinciarum ius non erat dandi tutores, quamuis merum & mixtum imperium haberent.

Ex quibus liquet quod his solis ius dandi tutores competebat, & non alijs magistratibus: quod si intelligeremus ei soli qui mixtum imperium habet ius dandi competere, sequeretur tutoris dationem esse mixti imperij, & iure magistratus competere cuilibet mixtum imperium habenti, & delegabile esse, quod est falsum. At nunc iure nouo Municipales magistratus dare possunt.

Quæcunque specialiter.

Accursius, Id est expresse & in priuilegium maiorum magistratuum, & ista putat esse merum & mixtum imperium concedi in priuilegium eorundem magistratuum, quibus datur: in quod Bar. Bal. & ferè omnes doctores consentiunt, excepto Fulgoso, qui in fauorem caufarum, & fortè non male tribuatur, ut delegari non possint, quamuis Alexander & Iason hic leuibus rationibus impugnent; nouissime autem cordatus Decius hic, & literatissimus Alciatus lib. ij. parado. communem opinionem fortissimis rationibus subuertit. Respondeo ad uerbum specialiter, quod Accursiana grammatica interpretatur contra uim uocabuli & Papiniani mentem.

Respondeant quæso Vlpiani his uerbis: Tutoris datio neque imperij, neque iurisdictionis est, sed ei soli competit, cui nominatim hoc dederit uel lex, uel S. C. uel Princeps. Ecce quod Papi. hic specialiter dixit, Vlpianus in eadem propè quæstionis specie nominatim expressit: intelligendum ergo specialiter, id est, nominatim quæcuncq; lex dederit, delegata non uideri, generaliter mandata iurisdictione.

Operæpretium est scrutemur utrum hæc lex loquatur de magistratibus maioribus. Item utrum de mero uel mixto imperio tantum.

De maioribus nullibi constat, nisi diuinaci Accursij coniectura: cuius contrarium liquet Inst. de Attiliano tutore, ubi Iustinianus refert olim lege Attilia ius dandi tutores Romæ Prætori urbano, & maiori parti Trib. ple. datum fuisse, de maioribus magistratibus Tri. pl. nunquam fuerunt, sed plebeij duntaxat. Senat. rj magistratus solum maiores erant cum imperio mixto, ut Prætores, uel mero, ut Conss. Trib. autem neq; imperij, neque iurisdictionis quid exercuerunt: locupletissimus testis est Atteius Capito iuriconsultus, qui libris epistolarum refert Antistium Labeonem iureconsultum uocatum à Tribunis, nuncio respondisse uti Tribunis referret, ius eos non habere neque se neq; alium in causa uocandi: cum moribus maiorū tribuni plebis prehensionem haberent, uocationem non haberent. M. Varro xxi. libro rerum humanarum: In magistratu habent aliquo uocationem, alij prehensionem, alij neutrum: uocationem, ut conss. & cæteri qui habent imperium: prehensionem, ut Tribuni plebis, & alij qui habent uiatorem. Neque uocationem, neque prehensionem, ut Quæstores, & alij qui non habent uiatorem neque licentiam: qui uocationem habent, idem prehendere & tenere & abducere possunt, autor est Gellius lib. xi. noct. Att. capite duodecimo. Subiunxitq; idem Gellius, quod ipse uocatus à Tribunis non iuit: & cum esset Tribunus, uocari neminem passus est, quæritauitq; quam ob causam Trib. uocationem non haberent, & succurrisse, inquit, quod Tribuni antiquitus creati fuerunt, non iuri dicundo, neque causis, querelisq; noscendis, sed intercessionibus faciendis.

Idem

A Idem meminit maiores magistratus olim fuisse Consules, Prætores, Censores, reliquos omnes minores appellatos: & C. Tutidanum scribere imperium maius Conss. habere, imperium minus Prætores. Adde tu his inter maiores magistratus, Præfectos prætorio & Præfectos urbi, & Præsides postea habitos. Hi. ergo apud nos sunt maiores magistratus, Conss. Prætores, Censores, Præfecti prætorio, Præfecti urbi Romæ: in prouincijs uero, prouinciarum retores, ut Proconss. & similes. Illa autem Accursij traditio de illustribus & cæteris alijs, uaria & instabilis atq; inutilis est, & recte damnata à literatissimo Alciato libro tertio Dispunctionum. Aptissime ergo Vlpianus dixit tutoris dationem, neque imperij neque iurisdictionis esse, ut in Trib. ple. uidemus: falsumq; ex præmissis apparet, de maioribus magistratibus tantum intelligendam hanc legem, sed de omnibus quibus hoc nominatim lex dederit: Similiter neque de ijs quæ imperij tantum sunt, uerumetiam de omnibus quæ nominatim mandantur, quæcuncq; Papin. ait, non autem hoc uel illud.

Quæ uero iure magistratus competunt, mandari possunt.

Scilicet à maioribus magistratibus Sozinus intelligit, non autem quod minores magistratus delegare possint.

Quæ sunt illa quæ iure magistratus competunt: aut dicimus quæ imperij sunt, & consequens fieret delegari posse: aut dicimus delegari non posse, quæ imperij sunt, & consequens talia iure magistratus non competere: & tunc quærendum, qualis iurisdictione iure magistratus relinquatur etiam maioribus magistratibus. Et hac utiq; ratione, non nisi nuda notio si merum & mixtum sustuleris

imperium. & in hoc inclinare uidetur Accursius & doctores ferè omnes, quod neque merum neque mixtum iure magistratus competat. Mihi autem uidetur absurdum maiores magistratus non differre à minimis, in ijs quæ iure magistratus competere solent: si non plus ipsis maioribus competeret quàm minoribus, & sic eo ipso quod quod sunt magistratus, omnes sint æquales. Nec ad rem, quod multa maioribus specialiter à lege in priuilegium, ut ipsi putant, tribuuntur, quia talia exterius proueniunt: & ideo ridicula res est, ut non maioris iurisdictionis sint Consules eo ipso quod Consules sunt, similiter Prætores & Præfecti Romæ quàm infimi magistratus, & solum per accidens eorum augeatur potestas, quæ ut euitaret Accursius, tot nugas de priuilegijs excogitauit.

Excutiamus igitur, nunquid imperium merum uel mixtum, iure magistratus cuiquam competat, licet Doctores omnes dicant non competere. Item nunquid imperium delegari possit.

Quod competat, Pomp. de origine iuris. Exactis deinde regibus Conss. constituti duo sunt cum summo imperio. Vlp. omnia omnino crimina præfectura urbis sibi uendicauit. Idem, Qui uniuersas prouincias regunt, ius gladij habent. Idem de officio Proconss. Nec quicquam est in prouincia, quod non per ipsum expediatur. Idem de in ius uocan. In ius uocari non oportet, neque Cons. neque Præfectum, neq; Prætores, neq; Procons. neq; cæteros magistratus qui imperium habent.

De imperio ordinario quod competit eo ipso quod magistratus facti sunt loquantur hæc II. Si iure magistratus competit, ergo potest delegari. & hoc est quod contorquet gl. & doc.

Animaduertendum arbitror quod ista non inter se pugnant, ut magistratus aliquis iure magistratus habeat imperium indefinitum, ut Præfecti urbis & Præsides & alij supra enumerati, & habeat specialiter lege tributum, ad certam spe-

Maiores magistratus.

In l. i. infra quis et à quo.

Facit l. eū qui. infra. de iurisd. om. iud. & l. c. prætor. de iudi. et Decius hic.

Decius hic.

In l. i. de off. eius cui mand. est iurisdic.

L. i. de offi. præfec. urb.

Uel l. nec mandante. de tuto. & cura da. ab his.

d. l. tuto. §. tutoris. infra de tut.

Cciem, ut in exemplis hic de lege Iulia, de adul. & ui. publi. & Turpiliano. Et dato quod generali imperio iure magistratus de ijs cognoscere potuisset, tamen propter specialem commissionem lege factam, illud & in ipso cui specialiter mandatur, & in alijs magistratibus eiusdem imperij offuscatur, & hoc tantum utendum est, & de huiusmodi imperijs loquitur lex nostra, & cessant tot obiectiones. Ex quibus eleganter colligi posse uidetur, quod si iure ordinario alicuius rei cognitio ad multos magistratus pertineret, & lege scripta uel uiua, quæ Princeps est, ea cognitio specialiter uni demandatur, mox ab omnibus alijs cognoscendi potestas abrogata censebitur, & is solus cui nominatim demandata est cognoscet, unde fit:

c. studiisti. de offi. leg. facit c. ut nostrum. de app.

Bald. in l. i. supra de offi. con. su. idem consti. cclxxxv. li. iij. Ang. in l. i. c. ubi apud quem. glo. in c. per hoc. de hæret. in vi.

Quæcumq; lege uel Principis oraculo specialiter commituntur, delegari non posse, neq; ab alijs cognosci posse, quàm ab eo solo, cui nominatim cognitio delegata est, quamuis eius naturæ res ea sit quod ab alijs iure ordinario cognosci potuisset, nisi lex uel Princeps specialiter delegasset. Et si dixeris adhuc obstat obiectio de imperio iure magistratus quod possit delegari, igitur. Excusamus utrum imperium suapte natura sit delegabile; quidam non posse contendunt, quidam distinguunt inter merum & mixtum. De mero nulla est pugna quin delegari non possit, quod maximi momenti est, citant in primis totam hanc legem, quæ nihil probat, nam semper loquitur de ijs quæ specialiter tributa sunt lege & c. quamuis alijs iuribus probetur.

Et propter hoc quod imperium merum minime delegari potest, uerius uidetur quod dicebam, ut uerba hæc quæcumq; accipiantur proprie, id est latissime de omnibus negocijs quæ nominatim lege mandantur, ut in datione tutoris & alijs similibus.

D. Ut l. nemo potest. de reg. iur. et l. solent. c. l. siquid erit. de offi. procon.

De mixto imperio non parua est pugna. Placen. & Guil. contendunt mixtum imperium & iurisdictionem idem esse, & idcirco delegabile. Guido Summarius & Albert. Roat. in l. imperium contra glossam fortissime pugnant; existimant enim iure magistratus competere, & ideo delegari posse. Sequuntur hic Ray. & Fulg. ac literatissimus Alciatus lib. ij. Paradoxorum subtiliter disputat. Et licet ex diuerso sententia numero autorum, non rationibus uincat, tamen solidam solutionem adhuc non inuenerunt ad Pauli responsum; Mandata, inquit, iurisdictione priuato etiam imperium quod merum non est uidetur mandari. Potuit ne apertius exprimere mixtum imperium, quàm dicendo imperium non merum? Et in calce legis nostræ Paulus notat imperium, quod iurisdictioni coheret, mandata iurisdictione transire. Est ne aliud imperium quod iurisdictioni coheret; certe nullum, nisi mixtum, similiter neque ad l. cognitio in suum, de quo satis multa disseruit Alex. in dispositione Rex Aragonum. Castren. & Decius in §. ut possessio. Et quoniam ueritas huius quæstionis multum pendet ab illa, utrum mixtum imperium, & iurisdictione sint idem, quò ue inter se discrepent, utile est discernere. Quod sint idem. Postquam Pau. dixerat mandata iurisdictione, imperium quod non merum est uidetur mandari; statim rationem subnectit, quia, inquit, iurisdictione sine modica coërtione nulla est; nam si non essent idem, mala foret consequentia in quæstione proposita, de non mero imperio ad iurisdictionem, de imperio quidem mixto, & non de iurisdictione quærebatur, si iurisdictione esset aliud ab imperio non mero. Respondendum erat quia mixtum imperium sine modica coërtione nihil est.

l. imperium. de iurisd. om. iud.

Vlpianus: Mixtum imperium est cui iurisdictione inest; iurisdictione est etiam iudicis dandi licentia. Dicitio etiam hic denotat appellari iurisdictionem id quod mox dixerat, imperium mixtum; accedit quod qui iudices dant, opus est, in potestate

Astate aliqua sint ut Conss. et Prætores. Si dare iudices solius est potestatis, ergo iurisdictione nisi esset idem quod hæc potestas, id est mixtum imperium, iudices dare non posset. Ex contrario quod sint diuersa patet ex illis uerbis, mandata iurisdictione, etiam imperium quod merum non est mandari uidetur, id est cum iurisdictione creditur mandari. Dicitio etiam iungit diuersa; quod si idem esset, dicendum erat mandata iurisdictione imperium mixtum mandatur, sed hic est dicitio etiam cuius proprium est iungere & significare cum iurisdictione imperium. Ideo optima consequentia, quod iurisdictione sine modica coërtione, id est mixto imperio nulla est, mixti enim imperij est, & non iurisdictionis modica coërtio. Item si iurisdictione non esset aliud ab imperio, non possent commisceri, ex qua commixtione efficitur aliud quiddam, quod mixtum imperium dicitur. Ex his colligitur quod est imperium merum, item quod est simplex iurisdictione quædam sine aliquo imperio, & quod ex ijs commixtis quædam tertia species, quæ dicitur mixtum imperium, conglutinatur, dicitur etiam iurisdictione. Et illa simplex iurisdictione magis est in consideratione, quàm in exercitio, quia sine aliqua coërtendi potestate, omnis inutilis & ridicula est iurisdictione.

L. cū qui. infra. co. et l. cū prætor. de iud.

Pro hoc l. ca. quæ ad municipa.

Rursus contra, mixtum imperium est cui iurisdictione inest; & alibi, imperium coheret iurisdictione, scilicet merum, & hærendo miscetur, si inest unum alteri, & alterum alteri, ergo adesse utriusq; utrumq; requiritur; & glos. tradit sine coërtione iurisdictionem non esse, & coërtio est imperij, efficitur sine imperio iurisdictionem non esse, & iurisdictionem imperio & imperium iurisdictione inesse, & commixtione unum fieri, scilicet imperium & iurisdictionem, quod mixtum appellatur. Quid dicendum? puto unum esse, & re ipsa inseparabilia hæc duo, intellectu tamen optime distingui, ut potentia in anima nostra scilicet, intellectus, uoluntas & memoria, & in trinitate personæ.

L. ult. infra co. et l. siquid erit. supra de offi. procon. et in auten. de defens. fo. ciuit. §. audient.

Ex omnibus supradictis multas utiles & ueras conclusiones colligi posse arbitror. Vna est, quod omnis coërtio est imperij, eaq; est aut maior siue magna, aut minor siue modica; maior quæ imperio mero tribuitur, minor mixto, quod iurisdictione comunicatur, & minor siue modica est citra atrocem uerberationem. Alia, quod modica siue minor coërtio est mixti imperij, & simplex iurisdictione, nullam ex se habet coërtionem, sed ab imperio se miscendo mutuatur. Tertia, quod iurisdictione sine mixtura imperij est ridicula, ut regnum inermis. Bene ergo Accursius dixit iurisdictionem non esse sine modica coërtione. Quarta, quod iurisdictione cum modica coërtione uere est mixtum imperium, & contra imperium non merum est iurisdictione. & solo intellectu distinguuntur, & hoc est quod plerumq; facit glo. & doct. uacillare; & ueteres etiam appellant imperium maius pro mero, & imperium minus pro iurisdictione mixta. Gellius lib. xi. noct. Atti. refert C. Tutidanum scribere Conss. habere imperium maius, Prætores imperium minus; & uerum est Prætores iurisdictionem, id est imperium non merum iure magistratus exercuisse, licet S. C. Turpil. animaduertendi potestatem de nece domini specialiter tributam egissent. Quinta, quod mixtum imperium poterat demandari, ut hic in fine, nec uerum (pace omnium dixerim) quod modica coërtio sit simplicis iurisdictionis, immo est mixti imperij & iurisdictionis quæ sonant mixtum imperium, omnes alia coërtiones sunt meri imperij. tex. est qui cauillari non potest. in l. siquid. de offi. Procōsul. Venuleius de offi. Procon. Siquid erit quod maiorem animaduersionem exigat, remittere legatus apud Procon. debet, neq; animaduertendi, uel coërtendi, uel atrociter uerberandi ius habet, quæ huius responsi ratio est, quia meri imperij sunt ista, & maioris animaduersionis appellatione continentur. Vnde colligitur quæ citra atrocem coërtionem

L. imp. §. si. et dicta l. si. et hic infra §. si. l. magistratibus. infra de iur. om. iudi. et dicta l. si. Imperium maius & minus.

Vt Fulgo. hic et in l. si. infra co.

C uel uerberationē sunt, minoris coërtionis siue modicæ sunt, & mixti imperij esse, & delegari posse. Nec illepidæ inuestigationis est quæ atrox uerberatio sit, an ad instar atrocis contumeliæ, an publica uerberatio, an ipsamet uerberatio, an non leuis uerberatio.

† Alias exercitatio. Huius rei fortissimum est argumentum, quod lege Iulia, de uinominatim cauetur, ut is cui contigerit † exercitatio, possit eam, si proficiscatur, mandare.

Duo facit Papin. Primum per argumentum à contrario sensu elicit præsentem magistratus cognitionem iudicij legis Iul. de uin. publi. mandare non posse, quia in ea nominatim cauetur, si proficiscantur, mandare possint. Hinc arguendo inferunt, si non proficiscantur, mandare non possunt. Secundum est, quod idem seruandum tradit in alijs publicis iudicijs, extenditq; statutū legis Iul. per argumentum à contrario elicitum, ad alia publica iudicia. Collige ergo argumentum à contrario sensu habere uim extensiuam, & per hoc mens legis collecta per argumentum à contrario porrigibilis est ad similia, quod est notatu dignum de argumentum à contrario et causa cessante. Multa hic à doctoribus & maxime recentioribus traduntur utilia. Et obserua quod hic dicitur fortissimum arg. à contrario: alibi dicitur apertissima probatio. ut l. si quis locuples, in fi. de manu test.

VLP IANVS.

D Mandata iurisdictione à Præsidente, consilium non potest exercere is cui mandatur.

Consilium exercere. Hunc locum intelligo quod Legatus consiliarios Præsidentis cogere in suū consilium non possit ex quauis causa etiam manumissionis æstimandæ, & hoc est consilium non posse exercere. Adde autore Pediano in commentarijs Verrinarum, ij. et iij. lib. quod is qui uniuersam iurisdictionē à Præsidente accepisset, non uallet consilium exercere, quod est cogere iudices in cōsiliū ire iudicatuos, quod hoc ordine fieri meminit: Prætor ad se accersitis omnibus eiusdem causæ iudicibus, ad suum tribunal confidentibus, perorari causam iubebat, & ubi ab utraq; parte satis dictum fuerat, imposita cuiq; qui finierant, necessitas dicendi. dixitum Prætor pronuntiabat dixerunt, & in consilium iudices mittebat. *Mittere iudices in consilium.* Mittere iudices, est, inquit, dimittere iudices ad sententias dicendas, id est cogere eos inter se uota conferre, quod in sacro Apostolico auditorio fieri uideamus. Decanus enim auditis omnibus causæ argumentis, collegas cogit ire in consilium ad sententias conferendas. Intelligo itaq; hoc etiam esse exercere consilium, quod quia potestatis est, mandata iurisdictione non transit, & idcirco Vlp. infra de iur. om. iur. scribit eum qui iudicare iubet, magistratum esse oportet: magistratus autem uel is qui in potestate aliqua est, ut puta Consul uel Prætor, uel alij qui prouincias regunt. Et nota Prætoris uerbum dicentis, dixerunt, significare causam peroratam, quod nos conclusam dicimus. Et illud desinentis dicere, dixi, est proprium iudicialium orationum extra quas abusus est.

IULIANVS.

De perorata causa est tex. in l. patre. infra de questio. quod Accursius non intellexit. Etsi Prætor est is qui alienam iurisdictionem exequitur, non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo cuius mandato agit, ius dicit, quoties eius partibus fungitur.

Ordinarius

A Ordinarius idemq; delegatus iudex quomodo cognoscitur quando quid agit ut delegatus aut ordinarius? Iulianus respondit, quoties eius partibus fungitur cuius mandato ius dicit. Fungitur aut quoties quid agit quod ad causam delegatam pertinet, & ex diuerso quoties quid agit quod ad suam iurisdictionem spectat, censetur ut ordinarius ius dicere. Ex quibus recte deduci arbitror, non opus exprimat se ut delegatū ius dicere uel ordinariū, sed satis fore si liqueat, ad quam causam pertineat quod agitur. hic casus. Quid autem in actu indifferenti? puto eius sententiam qui facit spectandam l. in ambiguis, de reg. iur. Quid si eius uoluntas explorari nequit? puto iure suo, id est ordinario magis quam alieno fecisse, quod est uerisimilius, extraordinarium cedit iuri ordinario.

PAVLVS IN L. FI.

Mandata iurisdictione priuato, etiam imperiū quod nō est merū, uidetur mandari, quia iurisdictione sine modica coërtione nulla est.

Post multa ad intellectum huius loci dicta in lege prima, nota quod priuatis personis potest generaliter mandari iurisdictione cum mixto imperio, & sic priuata personæ sunt capaces mixti imperij, nec propterea censentur esse in aliquo magistratu: & hi sunt quos Pedancos uetustas uocauit, quod pedes incedebant sine aliquo honore. Maiores uero iudices qui in potestate erant, sella insidentes curru uehebantur, unde Curules appellati sunt, sicut à pedibus Pedanei, similiter & Pedarij Senatores. Gellius est autor.

Palam sit delegatos etiam ad uniuersitatem causarum non esse in magistratu, & ad iurisdictionis siue mixti imperij exercitium non requiri magistratus fastigia. Bene igitur prospectum est iure pontificio, delegationes causarum inutiliter fieri, non aliqua dignitate honoratis.

E Etiam imperium quod non est merum, uidetur mandari.

Accursius: Imperium non dicas merum uel mixtum, quia non potest mandari, sed dicas modicam coërtionem.

Sentit Accursius unam aliam esse imperij speciem, scilicet modicam coërtionem, quæ latuit Vlpianum, qui tradidit imperium aut merum aut mixtum esse. Vitiōsam quidem diuisionem illam esse in Topicis docet Cicero, quæ nō omnes partes complectitur. Vitiōse ista ratione Vlpianus in duas species diuisit si plures sunt. O foelicem Accursij sapientiam, cui contigit Vlpiani errores detegere. Esto plures sint species, dic age, qui dicit non merum imperiū, potest ne aliud dicere quàm mixtum, aut quod aliud præter mixtum imperiū non merum est? sint deniq; quotquot uis species, satis est nobis de non mero, quod est mixtum imperium, loqui autorem. Tu negas hoc, profecto tolerabilius negares solem esse lucidum, niuem albam.

Imperium itaq; non merū mandata iurisdictione mandari Vlp. tradit. Hic uelint nolint Accursius & Accursiani omnes, quæ ratio est, quia sine modica coërtione, id est imperio iurisdictione nulla est, id est nullius momenti, patet, quia si nō intelligitur mandatum imperium, iurisdictione esset sine coërtione, ex quibus plures conclusiones colliguntur.

Prima, quod omnis coërtio est imperij, nam si esset iurisdictionis, nō opus esset mixtura imperij, & Vlpianus non sic locutus fuisset. Secunda, quod simplex iurisdictione nullam per se habet coërtionem, nec quidem modicam, sed eam ab imperio mutuatur. Tertia, qd imperium sese iurisdictioni insinuando modicam coërtionem cōmunicat, & tantam quanta sufficit ad exercitium iurisdictionis: & hoc

Facium scripta Bar. et aliorum li. §. nunciatio de no. op. nunc. Bald. consi. ccx. xvij. lib. ij. Romanus consi. xci. Alexander consi. xxv. uo. lu. ij.

Iudices Pedanei.

Glos. supra in li. in uerbū bonorum, ubi mixtum impe. inquit, esse sine animaduersione. L. magistratibus. infra de iur. om. iur.

C est quod Iabolenus respondit, cui iurisdicctio data est, eaq; concessa esse uidentur, sine quibus iurisdicctio explicari non potest, ut modica coertio. Recte glossa est, alibi castigatio dicitur. Quicquid itaq; coertionis est supra modicam castigatio-
L. siquid erit. su nem, meri imperij est, de quo latissime supra l. i. differuimus.
pra de offi. pro Quid est tandem haec modica coertio? est meo iudicio tantum aculei habere,
conff. et hic. quantum satis est ad iurisdicctionem tuendam, cogendumq; subditos iure iussa fa-
Ut l. i. siquis ius cere, parere, reuereri, & caetera quae Iabolenus respondit, sine quibus iurisdicctio
di. non obt. explicari non potest, & igitur municipalibus etiam magistratibus est necessaria.
L. magistratis
bus. de iur. om.
u. et in auten.
de defen. ciuit.
§. audiant.

DE OFFICIO ASSESSORVM ▶

PAPINIANVS.

Diem functo Legato Caesaris, salarium comitibus residui tem-
poris, quod Legatis praestitutum est, debetur.

Praestitutum & non praestitutum lego, sicq; legendum tradit praestantissimus
Alciatus lib. Dispunctionum iij. c. xx. ubi hanc legem uero suo sensui restituit:
praestitutum enim compositum est a prius & statuo, praestitutum ergo prius statu-
tum, praordinatum, praefinitum significat, & respicit hic tempus Legatis prius
statutum a Caesare. Lactantius v. diuin. insti. Ad praestitutum tempus praesen-
tiam sui fecit. Accursius et alij, ad salarium praestitutum male referunt, sese uarijs sen-
sibus cruciando.

D Papinianus itaq; hoc sensit & loquitur, scilicet salarium integrum assessoris
bus Praesidis ante diem functi, totius residui temporis Legato praestitutum debe-
tur, nisi interim comites alij assedissent, aut Legatus ante praefinitum tempus ma-
gistratu moueatur. Praeceptor meus Caccialupus quicquid ad hanc legem perti-
net, luculentis ac copiosis commentarijs tractauit, ubi petendum est, siquid in ea
materia quaestionis emerferit.

COMMENTARIORVM MARI SALOMONII

IN PRIMVM LIBRVM DIGESTO.

RVM FINIS.